





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 A
12


FLOSCVLI
SANCTORVM
PATRVM,
IN
AREOLAS SVAS
DISTRIBVTI.

Labore & studio IOANNIS DE LA RVSSALIERE, *Sacerdotis Pictaviensis.*

TOMVS V.







PARISIIS,

Apud MICHAELEM LE PETIT, & STEPHANVM MICHALLET, viâ Iacobæâ ad insigne Velleris aurei, & S. Pauli.

M. DC. LXX.

Cum Approbatione & Privilegio.



INDEX RERVM

Numerus paginam indicat.

D

FINIS.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos amez & feaux, les gens tenants nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senechaux, Prevost de Paris où leurs Lieutenans. Salut, nostre bien amé Florentin Lambert Marchand Libraire Imprimeur à Paris : Nous a fait remontrer qu'il luy a esté mis és mains un Livre intitulé *Flosculi Sanctorum Patrum*, qu'il desireroit faire imprimer & donner au public, tant en Latin qu'en François : mais il craint qu'en ayant fait la dépence, d'autre le voulussent faire imprimer à son préjudice, s'il ne luy estoit par nous pourveu de nos Lettres de Privilege, qu'il nous a tres-humblement fait supplier luy octroyer: à ces causes voulant favorablement traiter l'exposant, nous luy avons permis & accordé par ces presentes d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre intitulé *Flosculi Sanctorum Patrum*, en tels volumes marges carracteres & autant de fois que bon luy semblera tant en Latin qu'en François pendant le temps de sept années consecutives, à commancer du jour qu'il sera achevé d'imprimer ; iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume : faisons deffences à tous Libraires Imprimeurs & autres, d'imprimer faire imprimer vendre & distribuer ledit Livre sous quelque pretexte que ce soit préjudiciable à l'exposant mesme d'impression étrangere ou autrement, sans le consentement, dudit exposant, ou de ses ayans


cause sur peine des exemplaires contrefaits quinze cents livres d'amende, dépens dommages interests, à la charge d'en mettre deux exemplaires en nostre Biblioteque publique, une en celle de nostre Cabinet des Livres, en nostre Chasteau du Louvre, & une en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le sieur Seguier, à peine de nullité des presentes : du contenu desquelles vous mandons faire joüir l'exposant, & ses ayans cause pleinement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles empéchemens contraires, Voulons qu'en mettant au commancement ou à la fin l'Extrait des presentes, elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & qu'aux coppies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires foy soit adjoustée comme à ces presentes, pour l'execution desquelles mandons au premier Maistre Huissier ou Sergent, faire tous exploits requis & necessaires sans demander autre permission. Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 25. May, l'an de grace 1667. Et de nostre regne le vingt-quatriéme. Par le Roy en son Conseil, LE FEBVRE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris, le 27. Iuin 1667.

APPROBATION.

J'Ay leu un Livre intitulé *Flosculi Sanctorum Patrum*, fait ce 8. May 1667.


M. GRANDIN.



S. P. DAMIANI

FLOSCVLI.

AREOLA XVIII.



Ro peccatis nostris Clerici digni Episcopatus officio in nostris partibus non inveniuntur. Omnes enim quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Avaritiæ quippe & elationis igne succensi ambiunt quidem ad sacerdotium promoveti, sed non student digni sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant. Epist. lib. 1. Epist. 2.

Nisi pro amore Christi nullius mortalis hominis gratiam quæro, nullius iracundiam pertimesco. Ep. 4.

Hinc gravius fleo, quia fle- Ep. 12.

re non valeo.

Non sane omnis querela protinus accusatio dicenda est. Nam aliud querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odij. Ista nimirum fit, ut offensio corrigatur; illa vero ut is qui offenderat condemnetur.

Ep. 13. Sicut ad patremfamilias quælibet domesticæ facultatis jactura refertur: sic etiam dignum est ut summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuntietur.

Ep. 15. Non error hæreticum, sed pervicax obstinatio facit. Nec omnes hæretici dicendi sunt qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter & audaciter prædicant falsitatem.

Sicca chorda clarum harmoniæ sonitum, humida reddit obtusum.

Serpens fugit hominem nudum, aggreditur eum morsibus quem cernit indutum.

Accipiter ubi nidificat, in amplo quodam circuitu nullam di-

gnatur exercere rapinam; ut quæ facilia ſunt & in promptu nobiliter tranſeat: in quibus vero major victoriæ labor eſt, longinqua perquirat.

Non detractor ille dicendus eſt qui ei curat errantium reatus exponere qui valet ea, quæ temere præſumpta ſunt, emendare.

Qui non corripit puerum ova furantem, magnum poſtea latronem patitur equorum ſtabula perfringentem. *Ep. 20.*

Si à * corynetis ſuis matrona potens negligit arcere petulcum, quid mirum ſi in eam quoque ille poſtmodum væſaniæ ſuæ porrigat appetitum? ** id eſt famulus.*

Non quorumlibet hominum tam noxia eſt quàm pravitas Sacerdotum, dum proponitur ad exemplum. *Lib. 2. Ep. 1.*

Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. hîc evidenter oſtenditur nihil aliud eſſe Pontificem quàm boni operis ſectatorem. Non enim dixit: bonam *1. Tim. 3.*

dignitatem, vel bonum honorem desiderat, sed, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere sine ipsius rei veritate.

1. Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Hîc tantæ vult esse perfectionis Episcopum, ut pene extra naturam loquatur Apostolus. Quis enim in carne constitutus tam caute vivat, tam se sollicite undique circumspiciat, ut reprehendi aliquando nequeat? Væ his qui & reprehensibiliter vivunt, & locum irreprehensibiliter vivendi adhuc reprehensibilius concupiscunt.

Sicut Episcopi duodecim Apostolorum noscuntur obtinere primatum: ita & Sacerdotes Ecclesiæ septuaginta Discipulorum ordinem repræsentant.

Ep. 5. Prima mentis lux fides est.

Et Deus templum hominis, & homo templum est Dei.

4. Reg. 25. Plane dum Scriptura sacra Se-

dechiæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse, qui captus est cernat. Nam gemit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit, amans perdit: ea quæ patitur, damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra Regem Babylonis levat; sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccando perducitur, ut ipse quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis Rex extinctis prius filijs Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus post intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, *multa hæc*, interpretatur. Ei namque rationis lumen merito

clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito per negotia mundana raptatur. Jure in Reblatha cæcus efficitur, cum contempto uno per multa vagus & impatiens animus dissipatur.

Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare? Quid quietius atque suavius, quàm hujus sæculi nihil prorsus apptere?

Dominum & Deos gentium quodammodo colere quisque convincitur, si sic sacri Ordinis, in quo est, officium administrat, ut tamen à negocijs secularibus & carnalis vitæ consuetudine non recedat.

Qui possidere cum Deo paradisi gloriam quærimus, hic necesse est ut ei nosmetipsos prius habitaculum præbeamus.

Ep. 9. Nec mirum cum Deus dicatur esse consumens, si Sancti Spiritus habitaculum quibusdam scintillis erumpentibus videatur ignitum.

Ep. 12. Licet ignis circumposita quæ-

que corripiat, se tamen super se naturaliter erigit, ac semper in superiora contendit.

Est amor inutilis, aridus, & insulsus, qui sic se occupat circa proximum, ut non etiam porrigatur in Deum.

Beata illa Peccatrix prius pedes Domini unguento perunxit, postmodum etiam alabastrum unguenti pretiosi super caput recumbentis effudit. Caput Christi Deus, pedes Christi servi Dei. Sicut enim illa dum humanitati Christi dependit obsequium, ad divinitatis attingere meruit intellectum: sic nimirum, sic Doctor Ecclesiæ dum Christi membra custodit, contemplandæ divinitatis gratiam percipit.

Sic fœcunditatem Liæ gignendis fœtibus excolas; ut à venustæ Rachel amplexibus non recedas.

Provida Redemptoris nostri dispensatione divinitus agitur, ut quasi ad servandam legis domum Judæorum reliquiæ serventur, ut Ep. 13.

ipsi quodammodo nostri sint scriniarij & Libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt, lingua ubique terrarum ferant: quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant.

Lib. 4. Ep. 2. Sic bona fiant, ut eis se mala non misceant.

Ad hoc dantur bona temporalia, quatenus per hæc acquirantur æterna.

Quid prodest Deo temporalia bona conferre, animam autem pretiosissimam videlicet pecuniam denegare? Cuncta nimirum condita omnipotens Deus usibus hominum tradidit, solas autem suo usui reservavit.

Ep. 9. Sacerdos qui in regno cælorum vult esse magnus, sit in populo prævius, ut quod voce se sequentibus dictat, primus ipse vivis operibus impleat.

Ep. 14. Vita plane quam Salvator noster gessit in carne, non minus

quàm prædicatio Evangelica nobis eſt, & propoſita tenendæ linea diſciplinæ.

Cogitationum certamen nunquam Christi poteſt deeſſe militibus.

Quiſquis per injunctæ prædicationis officium ad pugnandum alios incitat, ſed ipſe non pugnat, illi ſimilis eſt qui buccinæ clangoribus obſtrepit; ſed congredi cominus non præſumit.

O quàm luctuoſa, quàm lugubris eſt ſera & infructuoſa illa pœnitentia, cum peccatrix anima jam incipiens carnis carcere, quo incluſa tenebatur, abſolvi, reſpicit poſt ſe, dirigit oculos ante ſe. Videt poſt ſe velut anguſtiſſimum atque breviſſimum ſtadium vitæ mortalis emenſum, videt ante ſe interminabilium longitudinem ſeculorum. Perpendit quaſi momentum temporis celeriter avolaſſe quod vixit: contemplatur infinitam prolixitatem temporum inſtare quam incipit; id enim bre- *Lib. 5. Ep. 3.*

vissimum quod est velut in puncto transcurrit: huic autem vitę quam nunc ingreditur, nullus omnino finis occurrit.

Qui non audit Deum, non auditur à Deo.

Quid prodest quicquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Nam si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in Conditore.

Ep. 7. Ignis ea prius ligna conflagrat, ex quibus oritur: Et fons illas ante omnia terrę venas infundit, ex quibus profluens derivatur.

Quem Patrem vocamus, ad ejus hęreditatem tota mentis concupiscentia festinare debemus.

Væsanum & absurdum est credere illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione nostra despicere, quod in semetipso dignatus est pro nostra salute perferre.

Ep. 8. Sicut non temeritatis arguendus est qui non modo sacerdotali pręcepto sed & sponte jejunat: ita

quoque non frustra laborare censendus est, qui se non alienis duntaxat, sed & proprijs manibus affíciendo castigat.

Optime pænitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus recompensat: & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxia delectatione peccavit.

Nihil differt quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur.

Si propter Scripturæ minas sic impensus honor aufugitur, ut animarum quoque utilitas negligatur, patet profecto quia intentio pro qua Scriptura servari debuit, non tenetur. Si enim ad hunc finem omnis sacra Scriptura refertur, ut per eam salus animæ requiratur, dum fugientes honorem animarum lucra postponimus, id potissimum, propter quod Scriptu- *Ep. 11.*

ra facta est, non servamus. Et perverso modo dum obtemperare sacris voluminibus nitimur, contra hæc eadem sacra volumina decertamus. Qui enim dicit: *Ne recumbas in primo loco:* ipse præcipit dicens: *Qui audit, dicat, veni.* Et qui prohibet: *Ne vocemini magistri,* ipse jubet Discipulis: *Ite docete omnes gentes.* Oportet ergo ut dum animarum fructus exquiritur, non humana lucra, non popularis favor, non aliqua honoris reverentia mentis intentione quæratur.

Luc. 14
Apocal. 22.
Math. 23.
Math. ult.

Sic proximos prudentiæ nostræ clypeus protegat, ne hostis post tergum latitans occultum ex insidijs vulnus infligat. Sic contra nostrum dimicemus adversarium, ut commilitonibus etiam nostris provideamus auxilium. Sic circa commilitones fraterna charitas vigilet, ne proprium latus gladijs hostilibus nudet.

(Samüel) quamdiu non est ab ipso populo ex principatus arte

dejectus, & excelsus videbatur in publico, & humilis erat in occulto.

Nisi aliquo modo venerabilis auditoribus persona prædicantis appareat, non admissus prædicationis sermo apud eorum animum non laborat. Nam si loquentis persona despicitur, restat ut ipsa locutio apud audientes despicabilis judicetur.

Non jam licet ultimis Ecclesiæ membris quod sibi potissimum videtur, eligere; sed necesse est antiquitus ordinata, maxime prout Romana tenet Ecclesia, conservare. Hæresis enim electio dicitur. Et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt quod sibi melius videtur eligere: dedignantur autem in his quæ à sanctis sunt instituta Doctoribus permanere. *Ep.* 18.

De celebrandis Missarum solemnijs nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesijs & didicimus & tenemus, ut cali-

re non valeo.

Non sane omnis querela protinus accusatio dicenda est. Nam aliud querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odij. Ista nimirum fit, ut offensio corrigatur; illa vero ut is qui offenderat condemnetur.

Ep. 13. Sicut ad patremfamilias quælibet domesticæ facultatis jactura refertur: sic etiam dignum est ut summo Pontifici patientis Ecclesiæ læsio nuntietur.

Ep. 15. Non error hæreticum, sed pervicax obstinatio facit. Nec omnes hæretici dicendi sunt qui opinantur errorem, sed qui pertinaciter & audaciter prædicant falsitatem.

Sicca chorda clarum harmoniæ sonitum, humida reddit obtusum.

Serpens fugit hominem nudum, aggreditur eum morsibus quem cernit indutum.

Accipiter ubi nidificat, in amplo quodam circuitu nullam di-

gnatur exercere rapinam; ut quæ facilia sunt & in promptu nobiliter transeat: in quibus vero major victoriæ labor est, longinqua perquirat.

Non detractor ille dicendus est qui ei curat errantium reatus exponere qui valet ea, quæ temere præsumpta sunt, emendare.

Qui non corripit puerum ova furantem, magnum postea latronem patitur equorum stabula perfringentem. *Ep. 20.*

Si à * corynetis suis matrona potens negligit arcere petulcum, quid mirum si in eam quoque ille postmodum væsaniæ suæ porrigat appetitum? ** id est famulabus.*

Non quorumlibet hominum tam noxia est quàm pravitas Sacerdotum, dum proponitur ad exemplum. *Lib. 2. Ep. 1.*

Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. hîc evidenter ostenditur nihil aliud esse Pontificem quàm boni operis sectatorem. Non enim dixit: bonam *1. Tim. 3.*

dignitatem, vel bonum honorem desiderat, sed, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere sine ipsius rei veritate.

1. Tim. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Hîc tantæ vult esse perfectionis Episcopum, ut pene extra naturam loquatur Apostolus. Quis enim in carne constitutus tam caute vivat, tam se sollicite undique circumspiciat ut reprehendi aliquando nequeat? Væ his qui & reprehensibiliter vivunt, & locum irreprehensibiliter vivendi adhuc reprehensibilius concupiscunt.

Sicut Episcopi duodecim Apostolorum noscuntur obtinere primatum: ita & Sacerdotes Ecclesiæ septuaginta Discipulorum ordinem repræsentant.

Ep. 5. Prima mentis lux fides est.

Et Deus templum hominis, & homo templum est Dei.

4. Reg. 25. Plane dum Scriptura sacra Se-

dechiæ captivitatem narrat, ordidinem captivitatis internæ denuntiat. Rex quippe Babylonis est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse, qui captus est cernat. Nam gemit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus, bona quæ genuit, amans perdit: ea quæ patitur, damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra Regem Babylonis levat; sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccando perducitur, ut ipse quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis Rex extinctis prius filijs Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus post intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe, *multa hæc*, interpretatur. Ei namque rationis lumen merito

clauditur, qui sanctæ quietis rigore postposito per negotia mundana raptatur. Jure in Reblatha cæcus efficitur, cum contempto uno per multa vagus & impatiens animus dissipatur.

Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare? Quid quietius atque suavius, quàm hujus sæculi nihil prorsus apptere?

Dominum & Deos gentium quodammodo colere quisque convincitur, si sic sacri Ordinis, in quo est, officium administrat, ut tamen à negocijs secularibus & carnalis vitæ consuetudine non recedat.

Qui possidere cum Deo paradisi gloriam quærimus, hic necesse est ut ei nosmetipsos prius habitaculum præbeamus.

Ep. 9. Nec mirum cum Deus dicatur esse consumens, si Sancti Spiritus habitaculum quibusdam scintillis erumpentibus videatur ignitum.

Ep. 12. Licet ignis circumposita quæ-

que corripiat, se tamen super se naturaliter erigit, ac semper in superiora contendit.

Est amor inutilis, aridus, & insulsus, qui sic se occupat circa proximum, ut non etiam porrigatur in Deum.

Beata illa Peccatrix prius pedes Domini unguento perunxit, postmodum etiam alabastrum unguenti pretiosi super caput recumbentis effudit. Caput Christi Deus, pedes Christi servi Dei. Sicut enim illa dum humanitati Christi dependit obsequium, ad divinitatis attingere meruit intellectum: sic nimirum, sic Doctor Ecclesiæ dum Christi membra custodit, contemplandæ divinitatis gratiam percipit.

Sic fœcunditatem Liæ gignendis fœtibus excolas; ut à venustæ Rachel amplexibus non recedas.

Provida Redemptoris nostri dispensatione divinitus agitur, ut quasi ad servandam legis domum Judæorum reliquiæ serventur, ut Ep. 13.

ipsi quodammodo nostri sint scriniarij & Libros cælestis eloquij in eadem, in qua conditi sunt, lingua ubique terrarum ferant: quatenus ipsi, qui nobis inimici sunt, si quando scrupulus dubietatis emerserit, omne nobis ambiguum tollant.

Lib. 4. Ep. 2. Sic bona fiant, ut eis se mala non misceant.

Ad hoc dantur bona temporalia, quatenus per hæc acquirantur æterna.

Quid prodest Deo temporalia bona conferre, animam autem pretiosissimam, videlicet pecuniam denegare? Cuncta nimirum condita omnipotens Deus usibus hominum tradidit, solas autem suo usui reservavit.

Ep. 9. Sacerdos qui in regno cælorum vult esse magnus, sit in populo pravius, ut quod voce se sequentibus dictat; primus ipse vivis operibus impleat.

Ep. 14 Vita plane quam Salvator noster gessit in carne, non minus

quàm prædicatio Evangelica nobis est, & proposita tenendæ lineæ disciplinæ.

Cogitationum certamen nunquam Christi potest deesse militibus.

Quisquis per injunctæ prædicationis officium ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, illi similis est qui buccinæ clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non præsumit.

O quàm luctuosa, quàm lugubris est sera & infructuosa illa pœnitentia, cum peccatrix anima jam incipiens carnis carcere, quo inclusa tenebatur, absolvi, respicit post se, dirigit oculos ante se. Videt post se, velut angustissimum atque brevissimum stadium vitæ mortalis emensum, videt ante se interminabilium longitudinem seculorum. Perpendit quasi momentum temporis celeriter avolasse quod vixit: contemplatur infinitam prolixitatem temporum instare quam incipit; id enim bre- Lib. 5. Ep. 3.

vissimum quod est velut in puncto transcurrit: huic autem vitę quam nunc ingreditur, nullus omnino finis occurrit.

Qui non audit Deum, non auditur à Deo.

Quid prodest quicquid faciat homo, si hoc non placeat Deo? Nam si nunc Conditor non delectatur in homine, homo postmodum delectari non poterit in Conditore.

Ep. 7. Ignis ea prius ligna conflagrat, ex quibus oritur: Et fons illas ante omnia terrę venas infundit, ex quibus profluens derivatur.

Quem Patrem vocamus, ad ejus hęreditatem tota mentis concupiscentia festinare debemus.

Væsanum & absurdum est credere illud pœnitentiæ genus Dominum in afflictione nostra despicere, quod in semetipso dignatus est pro nostra salute perferre.

Ep. 8. Sicut non temeritatis arguendus est qui non modo sacerdotali pręcepto sed & sponte jejunat: ita

quoque non frustra laborare censendus est, qui se non alienis duntaxat, sed & proprijs manibus afficiendo castigat.

Optime pænitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus recompensat: & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxia delectatione peccavit.

Nihil differt quibus pœnis caro pœnitentis addicitur, dummodo voluptas præcedentis illecebræ vicaria repressi corporis afflictione mutetur.

Si propter Scripturæ minas sic impensus honor aufugitur, ut animarum quoque utilitas negligatur, patet profecto quia intentio pro qua Scriptura servari debuit, non tenetur. Si enim ad hunc finem omnis sacra Scriptura refertur, ut per eam salus animæ requiratur, dum fugientes honorem animarum lucra postponimus, id potissimum, propter quod Scriptu- Ep. 12.

dejectus, & excelsus videbatur in publico, & humilis erat in occulto.

Nisi aliquo modo venerabilis auditoribus persona prædicantis appareat, non admissus prædicationis sermo apud eorum animum non laborat. Nam si loquentis persona despicitur, restat ut ipsa locutio apud audientes despicabilis judicetur.

Non jam licet ultimis Ecclesiæ membris quod sibi potissimum videtur, eligere; sed necesse est antiquitus ordinata, maxime pro ut Romana tenet Ecclesia, conservare. Hæresis enim electio dicitur. Et illi merito notantur hæretici, qui præsumunt quod sibi melius videtur eligere: dedignantur autem in his quæ à sanctis sunt instituta Doctoribus permanere. Ep. 18.

De celebrandis Missarum solemnijs nos hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesijs & didicimus & tenemus, ut cali-

cem differamus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre: alioquin quandocumque sacras hostias immolamus, in fine calicem semper ex more perfundimus. Porro sive jejunamus sive reficimur, hanc perfundendi regulam non mutamus.

Lib. 6. Ep. 2. Dum unum quid quæritur, & aliud invenitur, nequaquam votum petentis impletur.

In æstimationis meæ lancibus gravius pensat orationis obolus, quàm auri talentum, vel copiosa micantium multitudo gemmarum.

Ep. 4. Postquam feram semel venator illaqueat, si nexum ejus pedibus injicit, jam sine perdendi formidine longius eam evagari sub quadam libertate permittit. Is etiam qui aucupio delectatur, dum injecto funiculo pedibus tenet volucrem, securus auolandi datam simulat facultatem; & illa quidem fugam tentat, alarum librat ex

more remigium, sed dum exilire conatur, aucupe funiculum ſtringente retrahitur.

Fulmen mox ut micare incipit, ſubito deficit.

Sicut oblivio mandatorum Dei proculdubio vitium eſt, ſic illatæ calamitatis oblivio non parva virtus eſt. Ep. 5.

In cujus corde radicem ſuperbia fixerit, licet quibuſdam ſuperinductæ humilitatis aliquando bracteolis coloretur, nequaquam tamen ne vel tenuiter effluat ac latenter erumpat, undique cohibetur. Ep. 9.

Evellatur ex corde radix infixa ſuperbiæ, & mox etiam ſi noſtra deſit induſtria, videbitur humilitas in ſermone.

Eadem perſona hominis & bona operari valet, & mala: ſicut ex eadem terra & ficus profertur & ſpina. Sed ſicut mala arbor nunquam bona germinat poma: ita de ſuperba voluntate, quæ proculdubio mala eſt, nunquam mera

vel incontaminata procedit humilitas.

Radice læsa, totius arboris rami consequenter arescunt.

Humanam mentem superbia vitream reddit; ut correptionis ictum per impatientiam ferre non possit.

Qui ad correptionis ictus per impatientiam frangitur, etiamsi cæteris virtutibus polleat, soliditatem virium se non habere demonstrat.

Adhoc animal in materno ventre concipitur, ut egrediatur.

Ep 12.

Ep. 13. In quacumque regione terrarum æqualiter patet aula cælorum.

Ubi rectæ fidei & sanctæ conversationis idem est meritum, nil præjudicat diversitas aliqua varietasque linguarum.

Ep. 19. Unanimis amicitiæ proprium est, ut cum fratre frater & prospera communicet & adversa, quatenus fideliter animus sicut referenti in adversitate compatitur, ita nihilominus & in prosperis unani-

unanimiter collætetur.

Licet elegiacum quid & lugubre nimietate languoris aliquando depressus, effutire compellar: ardeo, morior, intercido: hoc simplex corporis gemitus, non querulæ mentis est murmur.

Malo ut modum discretionis in aliquo nimius fervor excedat, quàm degeneres animos desidis ignaviæ torpor astringat. Facilius est enim refluo vasi, quod exuberat demere, quàm quod in eo vacat implere. Laboriosius est trunco ramos qui non habentur inserere, quàm arbori superfluos amputare. Equus etiam majoris est pretij qui præ cursus impatientia cohibentia loca requirit, quàm qui fodienda calcaribus latera per ignaviam ingentis torporis exponit. Ep. 22.

Melius est te nimij fervoris argui, quàm fœdo desidiæ morbo notari.

Quanti sanguinis reus est qui sub sacri habitus schemate talem Ep. 32.

ſe per ſuſceptæ profeſſionis incuriam exhibet, ut quærentes accedere perverſe vivendo diſturbet?

Quicquid publica inter multos cenſura ſtatuit, aut à cunctis omnino ſervandum, aut ſi violari conveniat, communi debet judicio retractari: alioquin ſi ad perſonæ cujuſlibet arbitrium frangitur, gravi ut dignum eſt, animadverſione plectatur.

Lib. 7. Ep. 3. Subditi quique timent Regem, Rex neceſſe eſt metuat Conditorem.

Cum Rex in judicio diſcutiat hominem, Deus Regem, dignumne eſt ut pulvis timeat pulverem, & idem pulvis in Rege divinam deſpiciat majeſtatem?

4. Reg. 12. Joas Rex Juda tener adhuc de ſanctis tectis templi celeriter reſtaurandis cum Sacerdotibus diſputat: eos quoque collatam à populo vetat retinere pecuniam, totamque artificibus operum judicat exhibendam. *4. Reg. 23.* Adoleſcentulus adhuc Joſias omnia vaſa Baal de-

templo Domini cum Sacerdotibus projicit, & in convalle Cedron, flamma vorante, succendit.

Sæpe ubi magis ex humana ratione diffiditur, illic propensius superna clementia subvenitur: & ubi solatium desperamus humanum, divinum plerumque cernimus adesse præsidium. Ep. 17.

Effectum bonis operibus adhibet, qui pij cordis movet affectum.

Quoniam rei, ex qua conflictus oboritur, melius est gratuitam ignorantiam possidere, quàm de comparanda semper oblivione confligere, juvenculis mulieribus, quarum formidamus aspectus, tuto litterarum præbemus alloquium. Ep. 18.

Sicut in Libro virorum illustrium legitur, Hilarius Arelatensis Episcopus, ut indigentibus in necessitate succurreret, tanta fuit non modo mentis pietate, sed & proprij corporis anxietate sollicitus, ut agros ipse supra vires suas excole-

ret, & homo genere clarus longéque aliter educatus ruralibus se laboribus cruciaret.

Lib. 8. Ep. 1. Perfecto Prædicatori duo sunt permaximè necessaria, videlicet ut sententijs doctrinæ spiritualis exuberet, & religiosæ vitæ splendore coruscet. Quod si Sacerdos quispiam ad utrumque non sufficit, videlicet ut & vita clarus & doctrinæ facultate sit profluus, melior est vita proculdubio quàm doctrina.

Ep. 3. Justo plane Dei solet evenire judicio, ut qui parentibus humiliter subditur, ipse quoque parens effectus in propriæ sobolis obedientia delectetur.

Ignis cum ex lignis prodeat, ligna consumit, & in cineres vertit.

Ep. 6. Magna electis Dei est consolatio ipsa divina percussio: quia per momentanea flagella quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam firmæ spei gressibus convalescunt.

Sicut duris & obstinatis flagella gehennalium sunt tantummodo primitiæ tormentorum: sic profectò bonis & rectis corde eadem flagella sunt materia præmiorum.

Laudanda divina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc premit, ut elevet: ad hoc secat, ut sanet: ad hoc dejicit, ut exaltet.

Medici corporum, quos desperant ad percipienda passim quæ petierint alimenta relaxant: at quos erigendos esse conjiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis edulia interdicunt: antidota insuper & amara propinant, ut per amaritudinis haustum ad incolumitatis dulcedinem convalescant. Quid ergo mirum si Medicus animarum omnipotens Deus, & quos perpetuæ morti cernit obnoxios, vivere delectabiliter sinat: & quos ad vitam eligit, sub districta severitatis suæ lege constringat?

Mea Grammatica Christus est, *Ep.* 8.

qui homo pro hominibus factus est: & in ipso quicquid potest fratrum meorum ædificationi consulere, hoc solum mea novit epistola redolere.

Illic à Domino non potest mereri quæ petit, qui hîc noluit audire quod jussit.

Homo homini inaniter loquitur, si per semetipsum Deus interius non loquatur.

Ep. 10. Christum, qui veritas est, negare convincitur, qui veritati pro humana gratia reluctatur.

Sicut qui non loquitur, nunquam mentitur: ita qui non jurat, impossibile est ut perjurium incurrat.

Sustenta pauperem, ut tanquam ipse creditor, Deum tibi facias debitorem. Neque enim te omnipotens Deus ad eleemosynam provocat, tanquam desit sibi unde pauperibus suis alimenta provideat: sed idcirco potius illos inopes exhibet, ut tibi redimendi te materiam subministret. Scriptum

quippe est: *Divitiæ hominis, redemptio ejus.* *Prov. 13.*

Quisquis dum recta agit, successibus affluit, dignum profecto est, ut ejus cor formido concutiat, ne dum meritis suis recompensari conspicit temporalia, minora fortasse, vel nulla redhibeantur æterna. *Ep. 14.*

Necesse est ut quanto quis fuerit in virtutibus eminentior, tanto sit in cavenda tentatione subtilior. Callidus enim hostis idipsum sæpe vertit in materiam pugnæ, quod factum est causa victoriæ.

In populosa urbe amor artifex solitudinem reperit.

Agar prosperis fulta contra dominam tumuit: afflicta postmodum & in solitudinibus exul oberrans, alloquium Angeli læta promittentis accepit.

Sicut qui non vident, acutius audiunt, ut tanquam vivacitas sensus, quæ uni membro subtrahitur, ad aliud cumulatius transferatur: ita nonnulli calcata luxuria,

in avaritiam acrius inardescunt, & humana concupiscentia dum à libidinis voluntate compescitur, majoribus viribus in acquirendarum opum se porrigit appetitum.

Serm. 6. Sapientia mundi victa est à simplicitate Christi.

Quid prodest si quisquam catholice credat, & gentiliter vivat? Aut quomodo credulitas recta cum vita concordat hæretica?

Illas divitias appetamus, quæ nos gemmis ac margaritis valeant adornare virtutum, quæ ad cælestium nos provehant titulos dignitatum. Quas profecto divitias insinuat Propheta cum dicit: *Divitiæ salutis sapientia & scientia:* Isay. 33. *timor Domini ipse est thesaurus ejus.*

Hoc proprium propria voluntas habet, ut quo obediens obedientior fuerit sibi, eo amplius eum crudelioribus vinculis internectat. Sola diligitur cum sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio

magna

magna virtutum.

Certe ſatis ignobile eſt ſub vitiorum carnalium vivere ſervitute, qui Deo nos adoptante, regij obtinemus generis dignitatem. *Serm. 10.*

Nimis turpe eſt, ut terrenæ ſimus concupiſcentiæ dediti, qui & Dei vocamur filij, & ad obtinendam cæleſtem hæreditatem per Chriſti gratiam meremur aſcribi.

Quia crucifixi Præceptoris nos conſtat eſſe Diſcipulos, dignum eſt ut etiam noſmetipſos huic nequam ſeculo præbeamus extinctos.

Pro defenſione fidei dimicare fortiter & idonee nequeunt, qui adhuc nudari terrenis opibus pertimeſcunt. *Serm. 13.*

Unguenta redolere latius neſciunt, niſi commota: & aromata fragrantiam ſuam, non niſi cum incenduntur, expandunt. *Serm. 17.*

Granum ſinapis niſi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoſcitur.

Ubicumque corpus humanum

ſepelitur, non ideo vel minus perfecta; vel minus glorioſa ejus reſurrectio proculdubio futura creditur.

Delicatus eſt miles, qui ante vult vincere quàm incipiat dimicare; qui vult ſine pugna victoriam, aut ſine victoria anhelat ad palmam.

Non poteſt fieri ut ad magna præmia perveniatur, niſi per magnos labores.

Serm. 18. Sancti viri, qui per divini muneris gratiam ad perfectionis culmen elevantur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt.

In miraculis Elias monſtrabatur, in infirmitatibus ſervabatur.

Conſiderandum nobis eſt cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præficere diſpoſuit, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſe negare permiſit. Quod ni-

mirum magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, qualiter aliena infirma toleraret.

Sunt nonnulli qui cum de ore proximorum verba correptionis audiunt, mox in iram prorumpunt, vitio tumidæ elationis inflantur, & capitalis inimicitiæ facibus inardescunt. Hi nimirum de medicamento salutis materiam sibi faciunt ægritudinis, & curandi cauterium vulnerandi faciunt instrumentum.

Illi sanctos digne laudibus efferunt, qui laudabiliter vivunt: & hi fortium virtutes utiliter audiunt, quos audita præconia ad amorem imitationis accendunt.

Quisquis gaudes fortiter egisse Martyres Christi, arripe & ipse arma inter milites Christi. De-

ſunt exterius hoſtes, verte manus in te, & multos ſeditioſos invenies cives. Doma ſuperbiam, jugula iracundiam, extingue libidinem, reprime avaritiam, occide invidiam, & ut breviter cum Apoſtolo cuncta complectar, crucifige carnem tuam cum vitijs & concupiſcentijs, hoc eſt fortiter agere, hoc eſt viriliter dimicare.

Serm. 20. Facile eſt Medico animarum Deo patentia vulnera tenui medicamento componere: & ubi ſanum quid reperit, cætera quæ circumquaque putrida ſunt, ad ſalutem priſtinam revocare.

Serm. 21. Sicut arbor ſi vegetantis ſucci humore deſeritur, protinus exſiccatur: ſic & anima noſtra, niſi Spiritus Sancti gratiæ fuerit rore perfuſa, funditus arefacta, ad nullius ſanctæ operationis germen poterit eſſe fœcunda.

Sicut anima eſt vita corporis: ita & vita animæ noſtræ Spiritus Sanctus eſt.

1. Cor. 2. *Nos ſpiritum hujus m n li non*

accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Quis est autem ſpiritus Mundi? Ille profectò eſt qui ſuadet homines divina præcepta contemnere, terrenis negotijs delectabiliter inſudare, mundanæ dominationis culmen appetere, carnalis illecebræ paſſionibus turpiter ſubjacere, tranſitoriæ poſſeſſionis fines extendere, tumido ſuperbiæ faſtu ſuper proximos jura poteſtatis ambire. E contra ſpiritus qui ex Deo eſt, quas replet mentes ad cæleſtia provocat, & expulſo corporis & negligentiæ frigore, ad amorem divinum inflammat, petulantia carnis deſideria reprimit, & liberum cor ab omni terrena delectatione ſuſpendit. Ille reddit hominem ad deſpicienda propera rigidum, ad adverſa ſuperanda robuſtum: ille exhibet bene viventibus humiliter ſubditum: ille objicit prave agentibus in jura liberæ auctoritatis erectum: ille quem replet prudenter inebriat, atque à ſenſu vitæ præſentis

ſcienter alienat.

Nunquid non quædam divina ebrietas eſt, præſentia & præ oculis poſita cuncta deſpicere, atque ad ea quæ non videntur toto mentis deſiderio anhelare, mollia quæque & jucunda contemnere, dura vero & aſpera pro divino libenter amore perferre?

Quæramus à Deo noſtro, non quod quilibet pauperes ab hujus mundi divitibus quærunt, non videlicet nummum, non digeſtibilem cibum, non nudi corporis indumentum. Scit enim ille, qui ad hæc nos eſſe ſollicitos vetat, quia his indigemus. Illud itaque flagitemus, quod & nobis eſt præ omnibus neceſſarium, & ille magis dare petentibus delectatur.

Serm. 22. Omnes quicumque non ſegnes ſed ferventes & agiles ad patriam properant, non in itinere greſſus figunt, ſed pergentes aſſidue de virtutibus in virtutes, de bonis ad meliora contendunt: nec in hujus peregrinationis itinere cives

ſe, vel habitatores oſtendunt, ſed velut hoſpites ſemper & exules tranſeunt.

Spiritus Sanctus non attendit differentiam ſexuum, fragilitatem corporum, temporum annoſitatem; ſed quemcumque & quomodo vult dignantiſſima replet benignitate. Ser.23.

Illa Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum Eccleſia Romana, cui dictum eſt: *Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua*; in honore Joannis Baptiſtæ, per Salvatoris nomen conſecrata eſt & ſignata. Dignum namque erat ut ſententiam ſponſi ſponſæ ſequeretur authoritas, & ſingularem amicum ejus illuc proveheret, ubi principatum ipſa conſcendit. Electio proculdubio ſingularis, in illa ipſa Urbe Joannem Primatum Eccleſiæ vindicare, quem duo cœli luminaria morte clariſſima conſecrarunt. Crucifigitur Petrus, Paulus obtruncatur, dignitas remanet Præcurſori. Purpuratur Roma

multitudine Martyrum, totáque ſublimitas beato refunditur Patriarchæ. Joannes ubique major, in omnibus ſingularis, mirabilis ſuper omnes. Quis ſic glorioſe annunciatus eſt? Quis ita ſpecialiter in matris utero Spiritu Sancto legitur fuiſſe repletus? Quem legiſtis intra matris uterum exultaſſe? Cujus nativitatem vidiſtis celebrare Eccleſiam Dei? Quis ſic puer eremum concupivit? Quis ita legitur ſublimiter converſatus? Quis pœnitentiam & regnum cælorum primus oſtendit? Quis baptizavit Regem gloriæ? Cui ſe primum Trinitas revelavit? Cui tale teſtimonium perhibuit Deus? Quem ſic honoravit Eccleſia?

Ser. 27. Oleum quatuor habet, ſupernatat omnibus liquoribus, illuminat, paſcit, & ungit.

Miſerator & miſericors, patiens, mitis corde, & ſuavis univerſis Dominus prædicatur. Eſt autem & juſtus, ſed nunquam multum juſtus legitur in Scriptura, ſicut mul-

tum misericors.

Sancto cuilibet viro non consummatæ perfectionis repente tribuitur meritum; sed ad hoc paulatim per piæ devotionis & specialis exercitij pervenit incrementum: & dum mens divini amoris igne percepto, per cæleste desiderium in alta sustollitur, ad perfectionis internæ fastigium, quasi quibusdam ascensionis gradibus promovetur. *Ser. 28.*

Quo magis quotidie divinus in nobis spiritus crescit, eo magis noster, hoc est, carnalis desiderij spiritus deficit.

Religiosa tristitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium. *Ser. 29.*

Vis audire qualiter obedias Deo? Cave quod prohibet, imple quod jubet: neque enim unum sine altero valet esse perfectum. *Ser. 32.*

Si non vales pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo placabilem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo, sed non est inferius vivere Christo. Dicis

mihi quia non possum invenire martyrium: exhibe te martyrio dignum, & martyrij consequeris proculdubio præmium. Non potes sanguinem fundere, potes temetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare.

Ser. 33. Tunc Diabolum vincimus, cum Redemptoris nostri mandata complemus. Quamquam quod est Diabolum vincere, hoc ipsum sit divina mandata complere: nam dum carnis illecebras frangimus, dum pravis viscerum passionibus reluctamur, dum divinæ jussionis imperio subdimur, & non nostra vota, sed illius jussa servamus, tunc absque dubio mundi Principem & totius nequitiæ debellamus authorem.

Necesse est omnes qui volunt exire de regno Diaboli & ejus fines evadere, tentationum ingruentium certamina tolerare.

Ser. 37. Sive de justis, sive de peccatoribus, una est Joannis sententia quæ
Apoc. 14 dicit: *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Nec putetis quod virtus cuilibet ad perfectam salutem una sufficiat, si reliquas deesse contingat: neque enim unaquæque vere virtus est, si mixta aliis virtutibus non est.

Triticum prius in area tunditur, calcatur, atteritur, ut abjectis paleis mundum cellario postea recondatur. Sic profecto necesse est ut animæ nostræ multa tonsionum ac verberum flagella sustineant, quatenus depositis iniquitatum stipulis, purgatæ ad horreum cæleste perveniant.

Tota universalis Ecclesia virtutum armis accincta contra Diabolum per totum mortalis vitæ huius excursum in Christo dimicat, in Christo semper non sua, sed ejus virtute triumphat. *Ser. 39.*

Pretiosum signum Crucis; sed provt gestamus in fronte, utinam portemus in corde: ille enim cordi suo signum Crucis veraciter habet impressum, qui Christum qui in Cruce suspensus est, diligit: qui

eum toto cordis amore complectitur: qui certe in eo totis visceribus delectatur: qui quæque ab eo prohibita respuit: quæ sunt mandata, cum amore custodit.

Quod cor cogitat, brachium operatur.

Ser. 41. Jericho septem diebus obsessa destruitur, per quam videlicet mundus iste designatur. Sicut enim
Iosue 6. civitas illa non evertitur telis vel oppugnantibus cuneis bellatorum, sed tubis tantummodo clangentibus Sacerdotum; ita mundus hic non terrenis superatus est armis, sed quibusdam tubis atque clangoribus Apostolicæ prædicationis.

Ser. 42. Legitimum est ut Sacerdos cum ingreditur Sanctuarium, duodecim pretiosos lapides in Rationali pectoris deferat, quatenus quisquis sacris Altaribus appropinquat, Apostolicæ sibimet rectitudinis exempla proponat; ut quorum ministerio fungitur, eorum vitam, inquantum prævalet, imitetur, & quorum gerit officium, in eos san-

ctæ æmulationis studio mentis defigat obtutum.

Summum periculum docere, nec facere. Ser. 43.

Quia in rebus inveniri non poterat pretium nostræ redemptionis, Redemptor noster semetipsum obtulit Patri pro nobis hostiam in odorem suavitatis. Sic ipse factus est sacerdos & sacrificium: ipse redemptor & pretium. Ser. 45.

Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Notandum quia (Christus) prius se cœnaturum narrat, deinde cœnam daturum grata vice pronunciat. Quia de cujus nunc bonis operibus pascitur, cum eo simul postmodum in æterni convivii dapibus epulatur. Apoc. 3.

Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur. Ser. 46.

Non cuiquam sufficit ad capescenda præmia solus pudor virgineus, nisi & aliis fuerit ditatus virtutibus.

Plerumque conversatione conjugatorum vita confunditur virginum, cum & illi ultra habitum assumunt opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda.

Illa virginitas perfecta est, quæ reliquis virtutibus cingitur, quæ vera mentis humilitate conditur.

Ser. 47. Sufficeret ad redemptionem orbis vel una pretiosissimi sanguinis gutta: sed data est copia, ut virtus diligentis in beneficii redundatione clarescat.

Meditare positionem crucifixi corporis. Vide si aliquid est in eo quod non peroret pro te apud Patrem. Divinum illud caput multiplici spinarum densitate densatum usque ad cerebri teneritudinem confixum est. Ad quid hoc? Ne doleret caput tuum, ne tua vulneraretur intentio. Caligaverunt in mortem oculi sui, & illa luminaria quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Hoc autem totum factum est ut averterentur oculi tui ne viderent vanitates; &

ſi viderent, non adhærerent. Aures illæ quæ in cælis audiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*; audierunt in terris: *Dæmonium habes*; &, *Crucifige, crucifige eum.* Ioan. 7. Luc. 23. Ut quid iſtud? Ne aures tuæ obſurdeſcerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus apertis propitiiſque auribus ſuſciperes. Specioſa illa facies ſpecioſi forma præ filiis hominum, ſputis illita eſt, afflicta colaphis, addicta deluſionibus. Quare hoc? Ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te: *Vultus ejus non ſunt amplius in diverſa mutati.* 1. Reg. 1 Os illud quod docet Angelos, homines inſtruit, quod dixit & factum eſt, parumper obmutuit, ut veritatem & judicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum ſuũ. Manus illæ quæ fundaverunt cælos, extenſæ ſunt in cruce, claviſque tranſverberatæ duriſſimis, ut manus tuæ extenderentur ad ino-

Ps. 118. pem, & dicere posses: *Anima mea in manibus meis semper.* Pectus illud, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, lancea militari perfossum est, ut pectus tuum á pravis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, conservaretur sanctificatum. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quia sanctum est, dura transfixione confixi sunt, ne pedes tui festinarent ad malum, sed currerent viam mandatorum Domini. Quid plura? Pro te carnem & animam suam posuit, ut corpus & spiritum tuum sibi vindicaret. Toto se, totum te comparavit.

Abnegatio voluntatis hereditatis est recuperatio.

Ser. 48. In signo victoriæ victorem colimus; & adorando Crucem, ipsum qui crucifixus est, adoramus.

Crux nos terrenis expoliat, ut cælestibus ditet: esurire docet, ut satiet: humilitatem præcipit, ut exaltet: patientiam exhibet, ut coronet.

Crux

Crux laſſos recreat, infirmos roborat, & titubantia deſperatæ mentis arcana confortat.

Nulli plane mortalium hoc Deus omnipotens contulit, ut hæc duo præeminentium dignitatum faſtigia in una ſimul perſona concurrant, ſcilicet ut Apoſtolus quiſquam ſit & Evangeliſta, niſi Matthæo & Joanni, quorum ſcilicet alter publicanus, alter eſt virgo. Et hoc profunda divini diſpenſatione conſilij, nimirum ut & iſte ad miſericordiæ fontem peccatoribus ſe exhibeat prævium, & ille cuſtoditis & innocentibus ſit exemplum: quatenus & lapſis quibuſque peracti ſceleris magnitudo non obviet, & mundos ac nullis criminibus obrutos patens janua gratiæ cæleſtis invitet. *Ser. 50.*

Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male ſe habentibus. Et Phariſæi plane male habentes erant, ſed præ nimia infirmitate langoriſque gravedine ſe eſſe languidos ignorabant: & quia ſe *Ser. 51. Math. 9.*

prorsus arbitrabantur incolumes, nullisque langorum molestiis deprimi, non merebantur oblata cælestis Medici virtute curari. Illos plane sua curatione dignos animarum Medicus arbitrabatur, qui se debiles & ægrotos aspiciunt, qui se certa calamitate depressos & languidos veraciter ingemiscunt. Et ô singularis & incomparabilis clementiæ Medicus, qui super semetipsum omnium infirmitates & ægritudines exagerat, ut ex infirmitate sua languidus convalescat: *Isai. 53.* vere enim dolores nostros ipse portavit, vulneratus est siquidem propter peccata nostra, attritus est propter scelera nostra. Qui profecto, ut hominis sauciati vulneribus cicatrices valeant superinduci, gravia sibi vulnera sponte permisit infligi: immo non modo medendi nobis exhibuit curam, sed ipse nobis factus est medicina.

Ser. 55. Felicissimi gradus quibus itur ad Dominum, quos omnes in persona sua prius ascendit.

Luctus Sanctorum non est de diminutione rerum, de corporum infirmitate, de ferocitate sublimioris potestatis: lugent enim peccata vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimentum fidei, contemptum justitiæ, abundantiam iniquitatis, dilationem regni.

Munditia cordis ab intellectus puritate descendit.

Nec tibi blandiaris, si graviter peccanti levior pœnitentia vel à nesciente, vel à dissimulante dicatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quicquid hîc minus feceris: quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. *Ser. 58.*

Vere Claustrum est Paradisus. *Ser. 59.*

Pro his qui in cælo sunt, non orandum: quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est misericordiæ janua, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantum vigilandum est in orationibus, subveniendum sacrificio singulari, qui locis pur-

gabilibus emundantur, ut benignus Pater pœnitentiam eorum in ſatisfactionem, ſatisfactionem in glorificationem cito convertat.

Nihil ſic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio vulnerum Domini mei.

Ser. 60. In veritate dico vobis, quia nihil ſic exaſperat iram divinitatis, quàm iniquitatis defenſio: æquo enim certamine nos decertamus cum Domino, cum defendimus quod odit, cum nobis placet quod diſplicet illi.

O deteſtanda lætitia, & in ſempiterni doloris triſtitiam demutanda, in peccatis ſicut in virtutibus exultare!

Ser. 61. Nunquid qui navim remigij imperitus ingreditur, ſuſcipere gubernaculum non veretur?

Ser. 64. Nunquam tam digne, tam reverenter beatos Apoſtolos colimus, quàm cum Apoſtolica præcepta ſervamus, cum eos in via Dei præcedentes ſemper attendimus, cum eorum veſtigia ſequimur, cum eo-

rum angustam & arctam semitam sine offensione tenemus.

Inter cuncta Sanctorum gesta nihil est quod plus quàm sacrarum victoria virginum pia corda vel ad amorem Conditoris accendere, vel ad fortiter agendum valeat uberius excitare.

Tria sunt principalia & perfecta *Serm.* sacrificia, quæ reddere tenemur 7°. Domino. Sacrificium piæ contritionis, sacrificium justæ operationis, sacrificium laudis vel jubilationis. Horum duo in præsenti sunt necessaria, tertium hîc inchoat, & in futuro consummabitur. De primo dicitur: *Sacrificium* *Ps. 50.* *Deo spiritus contribulatus.* De secundo: *Sacrificate sacrificium ju-* *Ps. 4.* *stitiæ.* De tertio: *Sacrificium lau-* *Ps. 49.* *dis honorificabit me.* Primum sacrificium placat Deum, secundum delectat, tertium honorat.

(Humilitas) in tribus consistit, scilicet ut consideret homo quàm imperfectum sit homo quod habet, & hoc respectu superiorum.

Deinde ut consideret quia nihil habet proprium, unde Apostolus:
1. Cor 4 *Quid habes quod non accepisti?* Consideret etiam quod nihil habet in hac vita quod perdere non possit.

Sunt tres recordationes peccati, prima afficiens, & delectans, quæ mala est: secunda exasperans & pungitans, quæ utilis est: tertia gloriosa, quæ perfectorum est. Afficiens est qua afficitur homo recogitans ad ollas carnium Ægyptiorum, quàm deliciose & suaviter vixerit. Recogitatio pungitans est, quod reminiscitur quàm sordide & flagitiose vixerit, non ut ad priora redeat, sed ut digne defleat, & coram se ea statuat: un-
Ps. 50. de David: *Peccatum meum coram me est semper.* Tertia recordatio quæ dicitur gloriosa, est quando homo remeditans quis fuerit, & qua gratia de lacu miseriæ & de luto fœcis liberatus sit, gratias
Ps. 113. agit dicens: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Non omnia, quæ ſunt in cythara, ſonant: ſed omnia juvant. Sic non omnia quæ ſunt in divina Scriptura ſpiritualem intelligentiam generant, ſed omnia juvant. *Serm. 71.*

Otioſis verbis aſſuetus duplici proculdubio culpæ videtur obnoxius, qui & divinas laudes, ad quas humana conditio aſſidue provocatur, abjicit, & ſuperfluæ loquacitati, à qua prohibetur, inſiſtit. *Serm. 73.*

Non ire ad prælium, inglorium eſt: ire autem & ſegniter agere, mortis eſt omnino periculum. *Serm. 74.*

Sæpe plus eorum nobis medicamenta proficiunt, qui noſtri langoris incommodum per aſſiduæ familiaritatis contubernium recognoſcunt. *Opuſculum. 1.*

Fides eſt origo virtutum, fides bonorum operum fundamentum, fides eſt totius humanæ ſalutis exordium.

Pater hoc habet proprium, quod ex omnibus quæcumque *cap. 2.*

redarguendus est miles qui in belli conflictibus enerviter cecidit: aliter ille plectendus qui abjuratis militiæ sacramentis ad hostium castra dedititius transfugit.

Major est generatio spiritualis, quàm carnalis. *Opus.7. cap. 6.*

Quamvis unusquisque Sanctus omnibus florere virtutibus necessario debeat, neque enim singula quæque vere virtus est, si mixta alijs virtutibus non est: una tamen virtus cuique est præ cæteris eligenda, cui mens familiarius inhærendo deserviat, atque ab ejus, ut ita loquar, obsequio non recedat. In cunctis quippe virtutibus æque nos exercere non possumus, sed dum unam arctius custodimus, in hac quod ex reliquis minus est adimplemus; & dum hanc indesinenter amplectendo constringimus, quasi totum virtutum corpus unius membri participatione tenemus. *Opus.9. cap. 1.*

Perexigua mala largissima sæpius bona corrumpunt. *Op. 12. cap. 7.*

cap. 8. Nos certe nos minimæ fidei compellimus Christum esse tenacem.

Sit securus exactor, ubi ad reddendum promptus est debitor.

cap. 14. Malorum cum incaute amicitijs jungimur, culpis ligamur.

cap. 21. Quisquis rem, quæ ad vitium pertinet, consuetudine ductus, propriæ voluntatis instinctu libenter exequitur, peccat etiam si alienis imperijs specie tenus obtemperare videatur.

cap. 22. Neque Deus hostiarum pelles in sacrificio sibimet mandat offerri, sed interiora potius viscerum cum ipsis quoque medullis præcipit exhiberi. Unde & in ostendendo ipso sacrificiorum ritu Moyses pręcipit dicens: *Substracta pelle, hostiæ artus in frusta* Levit. 1. *concidant.*

cap. 25. Consuetudo facit Monacho cellulam dulcem, vagatio videri facit horribilem.

Vagantibus cellula carcer est, permanentibus suave cubiculum.

Apud seculares Religiosus quisque veluti pictura est. Pictura siquidem si procul assistat, inhianter & cum aviditate prospicitur: si juxta sit, contemptibilis judicatur. *cap. 26.*

Sicut absurdum est, bonis mala preferre, ita etiam fatuum, optimum bono inferius judicare. *cap. 27.*

Plerumque contingit, ut qui propria non contentus alienę progreditur saluti consulere, sui potius cogatur periculum sustinere: cumque alij velut inter procellosa naufragia palpitanti manum porrigit, ipsum quoque precipitem vorax fluctus involuit.

Nummus momenta legibus tribuit, atque ad suum intellectum obscuras sententias falsus interpretator inflectit. Nummus cor Judicum circa divites oleo impietatis emollit: erga pauperes vero ad exercendum vigorem rigidę animadversionis impellit. *cap. 29.*

Pauperculo debitori, licet solvere nequeat omne quod debet, excu- *Opusc. 13.*

ſationi tamen eſt, id perexiguum offerre quod habet.

cap. 1. Sub Religionis ſpecie ſeculariter vivimus.

Fomes apte congeritur, ubi ſcintilla ſaltem ignis ſupereſſe videtur.

Perdit quod egerat, qui quod faciendum eſt non conſummat.

cap. 2. Quantumlibet itineris quiſque perrexerit, quid, quæſo, proficit, ſi ad locum propoſitum non attingat?

Nonnulli, quod ſine gemitu dicere nequeo, ſic ad novæ Religionis tranſeunt ordinem, ut tamen præteritæ vitæ nunquam deſerant vetuſtatem. Veſte non mente mutati.

cap. 11. Non ſolum prohibemur poſt acceptum ſacrum ordinem vanis doctrinis intendere, ſed ex ijs quoque quæ ante didicimus ſuperflua quæque præcipimur detruncare.

cap. 12. Lacrymæ quæ à Deo ſunt divinæ exauditionis fiducialiter adeunt, & impetrantes præſto quod

petunt, de peccatorum nostrorum certa remissione confidunt.

Ex igne divini amoris gratia compunctionis oritur, & rursus ex compunctione lacrymarum desiderij cælestis ardor augetur. Alterum siquidem pendet ex altero, & sibimet utrumque invicem præstat, dum & ex amore Dei lacrymarum compunctio profluit, & rursus per lacrymas ad amorē Dei mens nostra ferventius inardescit. *cap. 13.*

Vitia quæ intra nos sunt, tentatoribus in tentatione concordant, & vires iniquis Spiritibus administrant. *cap. 21.*

Sæpe quis in peccati voraginem subito labitur, quod per omne vitæ suæ spacium flere necessario compellitur.

Tentet Novitius sæpe majora, ut quæ minora sunt reddantur eorum collatione facilia. *cap. 22.*

Cur asperis exhorreat contegi vestimentis, qui stola induendus est immortalitatis? *cap. 23.*

Quisquis de longinquo veniens

aulicis liminibus appropinquat, vecordiæ arguitur, si fabricis intentus ad Regis faciem non anhelat.

Opusc. 15. cap. 17. Melius est somnum carni temperata quadam dispensatione concedere, & ferventer postmodum in Dei laudibus excubare, quàm somno tenus soporatum dissolutis tota die labijs oscitare.

cap. 19. Facilius est hostiles impetus in vestibulo frangere, quàm admissos extra mœnia propulsare. Sollicitus esto semper ut tentationi principio nocenti velut armatus & expeditus occurras, & parvulos orientium cogitationum motus ad petram, qui est Christus, allidas.

cap. 23. In omni titillantis pugnæ certamine, sepulchrum stude semper ad memoriam revocare.

cap. 28. Efficacius modernorum cohortantur exempla quàm veterum: & magnæ confusionis pudor est, si cum sanctis viris in una simul ætate viventes, in rectæ conversationis studio eis in aliquo non

reperiantur æquales.

Fœdus mortales cum mortali pacifcimur, & fervamus : Deo fponfionem facimus, & fidem frangere non timemus. *Opufc. 16. cap. 2.*

Pro dolor! Huccine Sacerdotalis Ordo redactus eft, ut qui conftituti funt mundum fanctæ prædicationis luce perfundere, ipfi potiffimum conentur homines perverforum dogmatum tenebris obcæcare? Et qui pofiti funt de agro Ecclefiæ cunctos errorum vepres evellere, ipfi non vereantur aculeatos erroneæ pravitatis tribulos feminare? *cap. 3.*

Quia Dominicum corpus in Virginalis uteri templo coaluit, nunc etiam à miniftris fuis continentis pudicitiæ munditiam quærit. *Opufc. 18. cap. 1.*

Ille Deum timet, qui fatagit cavere quod prohibet. *Opufc. 23. cap. 5.*

Nobilem neceffe eft effe Ecclefiæ Sacerdotem, ut qui minifter eft Domini, erubefcat fe fervum effe peccati. *Opufc. 25. cap. 2.*

Opusc. 26. cap. 1. Quiſquis vel turpiter lapſum vel divinæ Legis ignarum ad ſacrum provehit ordinem, eius ſe peccatis involvit, cui peccandi materiam trahit: & non modo his ſe quibus ille jam involutus eſt, criminibus obligat: ſed his etiam quæ commiſſurus eſt, per anticipationem obnoxium parat.

Primæ dignitatis Sacerdotibus valde cavendum eſt & terribiliter formidandum, ne quod ab illis qui videntur ſubeſſe, delinquitur, ab his qui potioris ſunt gradus, & quibus hæc corrigenda ſunt, requiratur.

cap. 2. Nullus gravius convincitur peccare, quàm Preſbyter qui vel per imperitiam, vel reprobam vitam dum indigne miniſtrat, quantum ad ſe, ſalutaris victimæ ſacramenta contaminat.

Deterius nemo peccat quàm Sacerdos, qui prohibentibus Canonibus indigne ſacrificat. Aliter in quocumque modo peccantes quaſi Dominum in rebus ejus offendi-

mus: indigne vero ſacrificantes velut in perſonam ejus manus injicere non timemus.

Nimis impoſſibile eſt ut is qui rerum familiarium curis opprimitur, qui ſimul habitando & colloquendo turbis quotidie popularibus admiſcetur, mundo corde ſanctis valeat intereſſe myſteriis. *Opuſc. 27. cap. 3.*

Nec Deus corporalis contagij nauſeat ſordes, ubi mundi cordis invenit puritatem. *Opuſc. 29. cap. 2.*

Mala ſapientia, quam caligo erroris obnubilat: bona ſimplicitas, quæ à Catholicæ fidei tramite non declinat. *Opuſc. 30. cap. 4.*

Odioſa ſanctitas quæ in hæreſim illabitur; & dum per triti itineris ductum dedignatur incedere, per anfractus & ruinoſa devia compellitur oberrare.

Nimia certe immunditia in hæreticæ contagionis illuviem Novatianos, qui & Cathari dicuntur, immerſit: nimia ſanctitas Luciferianos, tanquam pernicioſos palmites, ab Eccleſiaſtici corporis unitate præcidit.

Opusc. 32. cap. 1. Potiorum rerum abstinentia plausu favoris attollitur: vilium vero contemptus dignus præconio non videtur.

Opusc. 36. cap. 11. Qui naturæ dedit originem, facile cum vult naturæ tollit necessitatem.

Opusc. 40. cap. 2. Illa solummodo vera fides dicitur, quæ per dilectionem operatur.

cap. 3. Superari per divinam gratiam possunt, quæ superari per divina mandata jubentur.

Opusc. 41. cap. 1. Ex ratione temporis agitur, ut una eademque res sive salubris, sive noxia judicetur.

Opusc. 49. cap. 10. Lingua, quæ immaculati Agni, immo summi Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis sese fecibus inquinare.

cap. 11. Plane qui hæres Dei & cohæres est Christi, omnem terreni stemmatis prosapiam superat.

Esse Christianum, magnum est, non videri, vel dici.

Opusc. 50. cap. 3. Hæc est summa cujuslibet sanctæ animæ mundi nexibus expeditæ, ut ad amorem Dei per omnium

ſuorum operum incrementa contendat, & quandoque in veri ſponſi delectabiliter amplexibus requieſcat.

Dum amplecteris ſponſum, cave ſolerter adverſarium: adhuc enim in ſalo verſaris, necdum portus ſtatione perfrueris. *cap. 5.*

Non eſt illa recta juſtitia, quæ in deſperationis foveam mentes pertrahit alienas. Non eſt medicina laudabilis, quæ ſic putrida reſecat, ut ſimul etiam ſana corrumpat. *Opuſc. 51. cap. 10.*

Bonos Principes malus populus non meretur. *Opuſc. 52.*

Medicus plane ſanguiſugas tumentibus ægroti membris apponit, ulcuſque ſimul cum ſanguine ab intimis viſceribus ſorbere permittit: diverſæ tamen intentionis eſt Medicus & hirudo. Illa ſiquidem nil aliud geſtit, niſi ut ſanguinem bibat: iſte ad hoc tendit, ut languidus convaleſcat. Illa ſatiatur & moritur: ægrotus autem dum perdit ſanguinem, recuperat ſanitatem. Illa denique ſua ſe morte *Opuſc. 53. cap. 13.*

ſatiat & exultat: ægrotus autem dum vulneratur, ad ſtatum ſalutis erigitur. Quid igitur mirum, ſi Deus omnipotens, qui eſt Medicus animarum, ſic nos occulta ſui moderaminis arte diſponit, ut ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat: quatenus dum nobis hoſtile vulnus infligitur, ex eo potiſſimum ſalutis antidotum procuretur.

cap.2. Si venenum veneno novit homo depellere, quanto magis mirabilis prævalet Deus ex alienis contritionibus nobis utilia providere.

cap.3. Servus Dei tunc debet timere, cum temporale quid percipit: tunc gaudere cum perdit: quia cui propoſitum eſt cæleſtia ſcandere, expeditiùs procul dubio vacuus, quàm gradiatur onuſtus.

Opuſc. 57. cap.1. Timida manus Medici vulnus auget ægroti.





S. ANSELMI
FLOSCVLI.

AREOLA XIX.



Diabolus non injuste dicitur vexare hominem, quia Deus hoc juste permittit, & homo hoc juste patitur. *L. 1. Cur Deus homo. cap. 7.*

Sufficere nobis debet ad rationem voluntas Dei cum aliquid facit, licet non videamus cur ita velit: voluntas namque Dei nunquam est irrationabilis. *cap 8.*

Nihil imputetur divinæ naturæ quod secundum infirmitatem hominis de Christo dicitur.

Sæpe aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud, quod si vellet, non fieret illud quod dicitur velle. *cap. 9.*

cap. 10. Sicut velle dicimus eum qui facit,ut alius velit; ita etiam dicimus eum velle, qui non facit ut alius velit,sed approbat quia vult.

Illum quoque qui prohibere potest, & non prohibet, solemus dicere, quia vult quod non prohibet.

cap. 11. Cum aliquis quod injuste abstulit, solvit, hoc debet dare, quod ab illo non possit exigi, si alienum non rapuisset.

cap. 14. Deum impossibile est honorem suum perdere; aut enim peccator sponte solvit quod debet,aut Deus ab invito accipit.

cap. 16. Nemo probat magis se hilariter dare quod promittit, quàm qui plus dat quàm promittit.

cap. 20. Non mereris habere, quod non secundum quod es, amas & desideras: & de quo, quia nondum habes, & adhuc utrum habiturus sis, an non, in tanto es periculo, non doles.

Qui non vult dare quod habet, non debet accipere quod non habet.

Solemus aliquando facere contra voluntatem alicuius non reprehensibiliter, ut res eius serventur, quod postea illi placet contra cuius voluntatem facimus. *cap. 11.*

Est necessitas quæ bene facienti gratiam aufert aut minuit; & est necessitas qua major ex beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis, ea necessitate, cui subjacet, invitus benefacit, aut nulla aut minor illi gratia debetur. Dum vero ipse se sponte sub necessitate benefaciendi subdit, nec invitus eam sustinet, tunc utique beneficij gratiam meretur majorem. Non enim hæc est illa dicenda necessitas, sed gratia, quia nullo cogente illam suscepit ac servat, sed gratis. Nam si quid hodie promittis te cras daturum, eadem voluntate das, quamvis necesse sit te cras dare promissum, si non poteris, aut non vis mentiri, non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio cui das, quam si non promisisses; quoniam te debitorem *Lib. 2. cap. 5.*

ante tempus dationis illi facere non es cunctatus, nec coactus.

cap. 12. Sicut ad beatitudinem non pertinet commodum, quod habet quis contra voluntatem: ita non est miseria apprehendere sapienter nulla necessitate aliquod incommodum secundum voluntatem.

cap. 17. Omnis necessitas est aut coactio, aut prohibitio. Quicquid cogitur esse, prohibetur non esse: & quod cogitur non esse, prohibetur esse.

cap. 19. Cum dicimus debere pauperes à divitibus eleemosynam accipere, non est aliud quàm divites debere pauperibus eleemosynam impendere; hoc namque debitum non est exigendum à paupere, sed à divite. Deus quoque dicitur omnibus debere præesse, non quia ille in hoc aliquo modo sit debitor, sed quoniam omnia debent illi subesse, & debere facere quod vult, quomodo quod vult debet esse.

De lib. Arbi- (Tentatio) impugnare potest invitam

invitam voluntatem, expugnare nequit invitam. *trio. cap. 6.*

Difficultas nequaquam interimit voluntatis libertatem.

Nulla est justa voluntas, nisi quæ vult quod Deus vult eã velle. *cap. 8.*

(Homo) à peccato & ejus servitute non nisi per alium potest reverti. A rectitudine vero non nisi per se potest averti. Et à libertate sua nec per se, nec per alium potest privari. *cap. 10.*

Semper homo habet arbitrij voluntatem, sed non semper servus est peccati, sed quando non habet rectam voluntatem.

[a] Nullus beatus potest esse, aut habendo quod non vult: aut non habendo quod vult.

[b] Qui vult aliquid propter Beatitudinem, non aliud vult quàm beatitudinem.

[c] Non punitur nisi voluntas: nam nihil est alicui pœna, nisi quod est contra voluntatem.

[d] Solus Deus, quicquid vult debet velle propria voluntate, ita ut

[a] Dial. de casu Diaboli. c. 12.
[b] cap. 13.
[c] De cõceptu Virginali, & peccato originali. c. 4.
[d] De similitudinibus. cap. 8.

aliam, quam ſequatur, non habeat ſupra ſe. Cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quaſi ſuam coronam: ſicut enim corona ſoli Regi competit, ſic propria voluntas Deo.

cap. 10. Propria voluntas aut eſt in delectatione, aut in exaltatione, aut in curioſitate.

cap. 18. Quanto plures ſenſus in delectatione ſociantur, tanto ipſa delectatio pejoratur. Attamen aliquando peior eſt unius, quàm omnium ſimul delectatio.

cap. 37. Propria eſt voluntas omnium inobedientium Domina.

cap. 39. Vitium aliquando huic, aliquando illi vitio ſervit, ut avaritia aliquando ventris ingluviei: aliquando alterum alteri cedit, ut luxuria gloriæ inani, aliquando enim luxuria repellitur, ne laus concupita perdatur. Omnia vero ſive hoc ſive illo modo propriæ voluntati Diaboloque famulantur.

cap. 43. (In cælo), tantus amor tanta-

queconcordia inerit omnibus, ut omnes amici unius ſint & amici alterius.

Magis puto eius ſalvationem ſperandam, qui parum boni facit, & bene factis aliorum favet, quàm illius qui multa facit, & invidet. *cap. 44.*

Liber eſt, qui cogi non poteſt ad ea quæ nolit, nec prohiberi ab eo quod velit. *cap. 53.*

(In cælo) à ſingulis omnes, ab omnibus ſinguli cognoſcentur. Nec quemquam omnino latebit qua patria, qua gente, qua ſtirpe quis editus fuerit, quid etiam in vita ſua fecerit. *cap. 59.*

Perfecta amicitia eſt quæ in inimicitiam converti non poteſt. *cap. 62.*

(In cælo) bonum quemque ſic Deus, omneſque alii diligunt boni, ut eum habere odio vltra non poſſint.

In illa admirabili & glorificata diſpoſitione & æque diſpoſita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quiſque quod adeptus fuerit *cap. 64.*

amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit. Quia cuique satis erit sua felicitas & beatitudo, sibi pro meritis suis misericorditer impertita.

cap. 96. Sicut charitas ieiunare, sic & inanis gloria facit.

cap. 102. Non valet ad salutem ut se cognoscat quis peccatorem, nisi inde habeat & dolorem.

cap. 110. Consideratio vel cognitio alieni peccati mala multa in diversis parit. Si enim peccator est, qui alterius culpam considerat, malo illius exemplo in suo peccato perseverat. Si vero pœnitens à peccato, à pœnitentia frigescit eodem exemplo. Quod si eodem peccato, vel etiam alieno tentabatur, facilius illius exemplo superatur. Si autem tentatione carebat, eo ipso tentatur, quod vitium ipsius considerat. Si vero iustus, præferendo se illi in superbiam extollitur, quem si diligebat, nunc eum incipit habere odio.

(Consideratio virtutis alienæ)

peccatorem converti, pœnitentem pœnitere magis, tentatum tentationi resistere, non tentatum sic permanere, justum humiliari, diligentem vero magis diligere facit.

Tempore tentationis ante perpetrationem culpæ nunquam misericordia Dei debet cogitari, sed justitia. *cap. 115.*

Licet Deus veniam promiserit pœnitenti, non tamen spopondit delinquenti, ut ei daret voluntatem pœnitendi.

Homo æternum habere non posset præmium, si Deus laborando æternum exigeret obsequium. *cap. 125.*

Qui perfecte odit in se peccatum, non curat quis illud agnoverit. *cap 136.*

Detractio est quotiescumque quis aliquid ea intentione de aliquo dicit, unde ipse vel minus amari, sive minus appreciari possit. *cap. 149.*

Proprium superbiæ singularitate semper gaudere.

Naturale est ut sicut id quod à

nullis fieri audio, facere reformido: sic illud, quod à pluribus fieri percipio, facilius præsumo: & quo plures eandem rem fecisse cognovero, eo minus eam facere dubito.

cap.150. Plus peccat, qui amorem proximi à corde alterius minuit, quàm qui victum ab ore pauperis rapit.

Prælato, aut illi, quem puto posse consulere peccanti, & vitiorum vulnera mederi, debeo alterius malefacta propter emendationem detegere, quæ per meipsum nequeo emendare. Et ne alius corrumpatur ipsius offensione, compendiose etiam possum eum monere, ne tali iungatur singulari aliqua familiaritate: Aliter vero nullo modo de aliquo quicquam adversi loqui debeo.

cap.159. Non semper velle debemus, quod Deus vult; sed hoc velle debemus quod Deus vult nos velle debere.

cap.161. Bonus homo de omnibus hominibus & bonis & malis utilitatem:

ſibi acquirit. Siquidem cum aliquid boni de homine bono vel malo audit, gaudet & inde Deo gratias agit : quod dum facit, mercedem à Deo bonæ voluntatis accipit, ac ſi cooperator fuiſſet eiuſdem operis. Malum autem ſi audierit, dolet, quod ſibi in mercedem deputatur; quaſi eiuſdem mali deſtructor fuiſſet vel diminutor.

Aliud eſt ſentire, aliud conſentire. *cap.162.*

In quantum quis Deum intelligit, ſapiens: in quantum vero amat iuſtus. *cap.163.*

Aliquando bene præcipitur, & bene obeditur: & è contra male præcipitur, & male obeditur. Aliquando bene præcipitur, & male obeditur: aliquando male præcipitur, & bene obeditur. *cap.168.*

Caritatis officium ab eo, qui hoc ſuſcipit, tranſit: caritas vero ipſa, quæ Deus eſt, in eo remanet qui eam aliis impendit. Bonum autem permanens bono tranſeunte me- *cap.179.*

lius est. Hæc igitur considerando perspiciemus magis nobis esse gaudendum si alios diligimus, quàm si ab aliis diligamus.

Charitas est exhibenda, non exigenda.

ep. 109 Mallem purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.

Tract. de concordia gratiæ & liberi arbitrij. Aliquid minus alio habere, non semper est indigere; sed aliqua re, cum eam haberi oporteat, carere.

ª De mensuratione crucis. ª Si homo mille annis serviret Deo etiam ferventissime, non meretur ex condigno dimidiam diem esse in regno cælorum.

Domine, sæpe differs quod petitur, ut excites magis appetitum: Non differs quod nolis dare, sed ut aucto desiderio abundantius possis dare.

Merito debemus nos abnegare, cum nihil juris habeamus in nobis.

Se non timet perdere, qui se abnegat.

Qui

Qui nihil in se habet, nihil sui amittere timet.

Quanto diutius vixit aliquis, tanto brevius victurus est: & quanto fit longius à die nativitatis suæ, tanto fit propior diei mortis suæ, & retributionis totius vitæ suæ. *Epist. lib. 1. Epist. 2.*

De Monachorum abstinentia hoc sentio, quia quanto majore Dei aut proximi amore Monachus ab appositis sibi alimentis abstinet, tanto majorem & facit eleemosynam, & acquirit mercedem. *Ep. 40.*

Cum semper gratum sit Deo, si nunquam ab ejus ordinatione dissentimus, tunc utique valde illi placemus, si & in nostra adversitate ejus voluntati hilariter consentimus. *Ep.*

Decet sapientem sapientis uti consilio. *Ep. 64.*

Nullius justius petitis & suscipitis consilium, quam illius cui debetis obedientiam.

Hoc omnis servus Dei observare debet, ne tribulationem putet, quod tribulatio non est. Ne cum *Ep. 69.*

id quod nec ſentire debet, tribulationem deputat, ibi judicandus ſit, eo ipſo quod dolet quod dolere non debet, ex infirmitatis teneritudine ſuccubuiſſe, ubi ſe putat per patientiæ fortitudinem ſuperaviſſe.

Aperte unuſquiſque homo oſtendit ſe ea diligere, quorum læſionem pati non poteſt ſine invidia.

Ep. 71. Tanto efficacius bonum exemplo quàm verbo perſuadetur, quanto boni mores in tacente diliguntur, & facundia in torpente contemnitur.

Lib. 2. Ep. 7. Nec locus, nec tempus aliquod excuſat aliquem, quia bene poſſit vivere.

Ep. 28. Quàm ſuavis eſt Dominus, nequaquam ſcire poteſtis, quamdiu dulcis eſt vobis mundus.

Ep. 30. O rationalis anima, an eſt hoc rationabile conſilium, ut quia ubique eſt periculum, ibi eligas manere ubi majus eſt periculum?

Gravius iraſcitur Deus peccanti Monacho, quàm alij; quia de pro-

poſito altiori cadit.

Quod à melioribus & ſapientioribus multum contemnitur, non eſt multum dolendum ſi perditur. Ep. 40.

Fides noſtra contra impios ratione defendenda eſt, non contra eos qui ſe Chriſtiani nominis honore gaudere fatentur. Ep. 41.

Solet eſſe certa ſpes correctionis, humilis ſuſceptio correctionis & monitionis. Ep. 107.

Nemo poteſt diligere & ſecularia & æterna bona. Ep. 127.

Solemus ſentire meliora de his quos diligimus, quàm ipſi mereantur. Ep. 136.


Retro Monachus reſpicit, cum ea ſæpe recolit quæ deſeruit. Quod cum ſæpe facit, refrigeſcit in eo amor cæleſtis, & reviviſcit amor mundi, & faſtidium tædiumque propoſiti ſui. Ep. 137.

Vita præſens via eſt; nam quamdiu vivit homo, non facit niſi ire: ſemper enim aut aſcendit, aut deſcendit. Aut aſcendit in cælum, aut deſcendit in infernum. Cum facit Ep. 138.

aliquod bonum opus, facit unum passum ascendendo: cum vero aliquo modo peccat, facit unum passum descendendo. Iste ascensus vel descensus tunc cognoscitur ab unaquaque anima, quando exit de corpore.

Ep.148. De malis operibus debemus agere pœnitentiam, & ea relinquere ante mortem, ne in illis inveniat nos ultima dies: in bonis vero operibus debemus perseverare usque in finem, ut in illis assumatur anima nostra de hac vita.





S. BERNARDI FLOSCVLI.

AREOLA XX.



Vgere persecutionem, non est culpa fugientis, sed persequentis. *Epist. 1.*

Vigilias times, & jejunia, manuumque laborem; sed hæc levia sunt meditanti flammas perpetuas.

Recordatio tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinem.

Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium.

Libentius insequitur adversarius fugientem, quàm sustineat repugnantem.

Grave cernitur omne quod incipit; usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impossibile ante putavit.

O vere tuta pro Christo & cum Christo pugna! in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec millies, si fieri posset, occisus fraudaberis victoria. Tantum ne fugias: sola causa, qua perdere possis victoriam, fuga est: fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes; & beatus si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis.

Epist. 2. Configat carnes tuas divinus timor, ne te decipiat carnalis amor.

Iuste cogitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum.

Dignum est ut qui Altario deservit, de Altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de Altario vivas, non autem ut de Altario luxurieris, ut de Altario superbias.

Quicquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est; ra-

pina eſt, ſacrilegium eſt.

Facilis ſequatur venia culpam, ex qua grave damnum non oritur. *Epiſt. 6.*

Abbati per omnia obtemperandum, ſed ſalva profeſſione.

Nec timor nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam: charitas vero convertit animas, quas facit & voluntarias. *Epiſt. 11*

Cui de proprio nihil eſt, totum profecto quod habet, Dei eſt.

Juſtitia meritum quærit, miſericordia miſeriam intuetur. Vera miſericordia non judicat, ſed afficit, non nititur diſcuſſione, occaſione contenta: non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. *Ep. 12.*

Tentare aliquid vel prece vel precio adverſus juſtitiam, iniquum eſt. *Ep. 14.*

Quid vanius, quàm diligere vanitatem? *Ep. 18.*

Appetitus vanitatis eſt contemptus veritatis; contemptus veritatis, cauſa noſtræ cæcitatis.

Juſtus ex fide vivit, beatus ex intellectu.

Ep.23. Etiam (Deus) in ſanctis ſuis glorioſus apparere dignatur, ne ſolus habeat gloriam. Ipſe nempe licet ſibi ſufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen & gloriam in Sanctis, non ut augeat ſibi, ſed vt ſuis communicet.

Sacerdotes Dei induuntur juſtitia, & multo utique decentius & ditius quàm auro & ſerico.

Ep. 24. Vera illa & indubitata ſapientia, quæ turpia lucra contemnit.

Non magnum fuit Magiſtrum Gilbertum Epiſcopum fieri, ſed Epiſcopum Londonienſem pauperem vivere, id plane magnificum.

Ep.25. Inter bonos bonum eſſe, ſalutem habet; inter malos vero & laudem. Illud tantæ facilitatis eſt, quantæ & ſecuritatis; hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis.

Ep.34. Nemo perfectus, qui perfectior eſſe non appetit: & in eo quiſque perfectiorem ſe probat, quod ad majorem tendit perfectionem.

Ep.48. Ne ipſa quidem miſeria invidiam declinare poteſt.

Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est. Ep. 54.

Non irasci ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est: plus vero irasci quàm irascendum sit, peccatum peccato addere est. Quod si malum est, peccatum non emendare; quomodo malum non erit augmentare? Ep. 69.

Libet mori magis cum illis, sine quibus vivere pudet. Ep. 78.

Tædium & acediam procul pellit sanctarum varietas observationum.

Securus gloriatur, qui in Domino gloriatur.

Quibus in malis placuimus, æque & in bonis placere non possumus, nisi forte mutati prius incipiant & ipsi odisse quod fuimus, & sic demum quod sumus diligere.

Cum carpuntur vitia, & inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit.

Mira sed cæca ambitio magis imis quàm summis delectari.

Ep. 80. Confidero non per quem, fed à quo immiſſa ſit tribulatio.

Ep. 84. Multum differunt à ſe, qui timore aut odio Religionis de Monaſterio fugit; & qui ejuſdem amore & deſiderio tranſit ad aliud.

Ep. 85. Tantum valemus, quantum accepimus.

Ep. 86. Nec præeſſe refuge, dum prodeſſe potes, quia væ quidem tibi, ſi præes & non prodes; ſed væ gravius, ſi quia præeſſe metuis, prodeſſe refugis.

Ep 87. Quotiens mea ſententia eligitur ac tenetur, gravi, fateor, onere me premi ſentio, rei finem ſemper pavidus, & nunquam ſecurus expectans.

Extorta ſeu coacta licentia, licentia non eſt; ſed violentia

Et facilius imperare, & ſecurius poſſum præeſſe aliis multis, quàm ſoli mihi.

Humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam.

Si virtutem appetis humilitatis,

viam non refugias humiliationis: nam si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi.

Prodest mihi meam insipientiam sciri, & à scientibus jure confundi, cui sæpe contigit à nescientibus laudari.

Grande periculum audire quemquam de se, supra quàm sentit in se.

Quis dabit mihi apud homines tantum de veris digne humiliari, quantum vel de falsis datum est indigne exaltari?

Indoctus, si præsumat docere, indoctius agit. *Ep. 89.*

Vel Monachi, quod esse videor, vel peccatoris, quod sum, officium non est docere, sed lugere.

Amare in Deo, charitatem habere est: studere vero propter Deum amari, charitati servire est. *Ep. 90.*

Nemo esse bonus, plus quàm oportet, potest. *Ep. 91.*

Solus Deus melior seipso esse non vult, quia non valet.

Minime pro certo est bonus, qui

melior esse non vult: & ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus.

Ep. 96. Multo facilius reperias multos seculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire ad melius.

Rarissima avis in terris est, qui de gradu, quem forte in Religione semel attigerit, vel parum ascendat.

Ep. 98. Non soli, qui pro Domino, sicut Martyres, sed qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profecto beati sunt.

Duæ res mihi videntur mortem facere pretiosam, vita & causa; sed amplius causa quàm vita. Porro illa erit preciosissima, quam & causa commendat & vita.

Ep. 100. Non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor.

Ep. 102. Auferatur malus, ne malos generet. Melius est ut pereat unus quàm unitas.

Ep. 103. Etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter

Christum, piissimum est.

Nil mortalibus morte certius, vel incertius hora mortis. Ep. 105.

Volo te mortem, etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem, etsi non cavet, tamen non pavet.

Bona mors si peccato moriaris ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est præcurrat, ut sequatur illa secura.

In hac vita, quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat.

Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias.

Quomodo vivere potes, ubi mori non audes?

Experto crede, aliquid amplius Ep. 106. invenies in sylvis quàm in libris: ligna & lapides docebunt te quod à Magistris audire non possis.

Nemo se amari diffidat, qui jam Ep. 107. amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur: nam quomodo redamare pigebit, quos

amavit & necdum amantes.

Amati amamus, amantes amplius meremur amari.

Ep. 111. Sola causa, qua non liceat parentibus obedire, Deus est.

O durum patrem! ô sævam matrem! ô parentes crudeles & impios! imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filij est.

Gustató spiritu, necesse est desipere carnem. Affectanti cælestia, terrena non sapiunt: æternis inhianti fastidio sunt transitoria.

Ep. 113. Minime quidem Deus est acceptor personarum: nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet.

Laudo factam de necessitate virtutem; sed plus illam, quam eligit libertas, non eligit necessitas.

Serica & purpura & tincturarum fucus decorem habent, sed non præbent. Quicquid tale applices corpori, exponit speciem suam, non deponit: secum denique tollit,

cum tollitur ipſum. Porro decor, qui cum veſte induitur, & cum veſte deponitur, veſtis procul dubio eſt, non veſtiti.

Illum verum & ſolum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de Creatore concipitur, & quod cum poſſederis, nemo tollet à te. Ep. 114.

Seculo vivere mors eſt, & in Chriſto etiam mori, vita.

Malum quod nemo videt, nemo arguit: ubi autem non timetur reprehenſor, ſecurius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. Ep. 115.

In Conventu bona, ſi qua facis, nemo prohibet: malum autem facere, ſi vis, non licet. Mox etiam à pluribus comperitur, arguitur, & emendatur.

Homo diu magnus habitus inter ſuos videri ſeipſo inferior erubeſcit. Ep. 126.

An non grande peccatum & delictum maximum, ſuperba iſta verecundia, qua terram & cinerem pudet, non dico ſubjici, ſed

non dominari?

Ep. 129. Abſque perſeverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Virtutum conſummatio eſt, mediatrix ad præmium, ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, propugnaculum ſanctitatis.

Ep. 136. Si triſtia ſemper acciderent, quis ſuſtineret? Si ſemper proſpera, quis non contemneret?

Ep. 139. Verendum eſt, ne minimorum neglectus impedimentum ſit maximorum.

Ep. 143. Cui juſtius vivam, quàm ei qui ſi non moreretur, ego non viverem? Cui commodius, quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex neceſſitate, quàm flammas perpetuas minitanti? Hoc ſolo certe non immerito vitam ſibi vindicat noſtram, quod pro ea præbuit ſuam.

Ep. 144. Quanto memoria dulcior, tanto abſentia moleſtior.

Speranti grandia, modica minus grata venire ſolent.

Oportet magis dilatum auxilium tandem venire validius, & subvenire perfectius. Ep. 156.

Novis morbis, novis obviandum est medicamentis. Ep. 161.

Danti rependi quicquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit. Ep. 181.

O! perversitas, non pudet inquinari, & ablui pudet. Ep. 185.

Sermo quidem vivus & efficax exemplum est operis, facile suadens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur. Ep. 201.

Quid prodest paucis diebus regnare super terram, & regno cælorum æterno privari? Ep. 206.

In proposito perfectionis apparere imperfectum, nævus est. Ep. 249.

Sævit frustrata ambitio, imo desperata furit. Ep. 251.

Indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Nolle proficere, deficere est. Ep. 253.

Erubescat anima conversa ad Ep. 341.

Dominum minori affectu sectari justitiam, quàm iniquitatem antea sectaretur.

Ep. 345. Venientibus ad Religionem non est consideranda carnis fragilitas, ut ei delicate subserviatur, sed impedimenta fervoris spiritus, ut sollicite fugiantur.

Lugendum est (in Claustro) quod commissum est in sæculo.

Serm. 1. de Adu. Perseverare in malo diabolicum est.

Serm 4. Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.

Vtile est abscondere magis quàm ostentare, si quid habemus boni.

Humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ dicitur cordis. Priore cognoscimus, quod nihil sumus, & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria. Posteriore calcamus gloriam mundi, & hanc ab illo discimus qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens.

Si verbum Dei ſervaveris, haud dubium quin ab eo ſerveris. *Serm. 5.*

Si Chriſti membra volumus inveniri, ſequendum nobis eſt ſine dubio caput noſtrum.

Non modo ad nos ſed etiam propter nos venit, qui bonorum noſtrorum non eget. *Serm. 7.*

Periculum ægritudinis ex ipſo pretio medicaminis innoteſcit.

Generalis eſt humano generi miſeria triplex; & faciles ſumus ad ſeducendum, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſiſtendum.

Pulcra permixtio virginitatis & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo illa anima in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. *Homil. 1. ſuper Miſſus eſt.*

Laudabilis virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas. Illa conſulitur, iſta præcipitur. Ad illam invitaris, ad iſtam cogeris. Illa remuneratur, iſta exigitur.

Potes ſine virginitate ſalvari,

ſine humilitate non potes.

Poteſt placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam; ſine humilitate autem, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuiſſet.

Expedit tibi virginem eſſe, quàm de virginitate inſoleſcere.

Si virginitatem in Maria non potes niſi mirari, ſtude humilitatem imitari, & ſufficit tibi.

Quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo: & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.

Homil. 2. Semper Jeſus virilem animum habuit, etſi ſemper in corpore vir non apparuit.

In periculis, in anguſtiјs, in rebus dubiјs Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum.

Homil. 3. Libenter, ubi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo, quo vel ex vaſculorum pulcritu-

dine gratiora fiant, quæcumque in eis lectori appofuerim.

Solent Angeli aftare orantibus.

Deus qui ubique æqualiter totus eft per fuam fimplicem fubftantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis, quàm in cæteris; & ipfarum aliter in bonis, quàm in malis eft per efficaciam.

Solent Virgines, quæ veræ virgines funt, femper pavidæ, & nunquam effe fecuræ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimefcere.

De (Chrifto) nobis nato & dato faciamus ad quod natus eft & datus: utamur noftro in noftram utilitatem, de Salvatore falutem operemur.

Semper folet effe gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. *Homil. 4.*

Non magnum eft effe humilem in abjectione; magna prorfus & rara virtus humilitas honorata.

Videas plerofque in Ecclefia de ignobilibus nobiles, de pauperi-

bus divites factos, subito intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere, & infimos dedignari parentes.

Videas & homines perniciosos ad honores quosque Ecclesiasticos pervolare, moxque sibi applaudere sanctitatem vestium duntaxat mutatione non mentium, & dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt; quodque, si audeo dicere, adepti sunt nummis, attribuere meritis.

Plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt.

Magis cultui vestium quàm virtutum insistitur.

Nemo orat nisi quod credit & sperat.

Vult à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devo-

tio excitetur, sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos prævenit tribuendo quod retribuat, gratis agit ne gratis tribuat.

Si quid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere.

Quare filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? *Serm. 1. in Vigil. Nat. D.*

Quisquis ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere pœnitentia. *Serm. 2.*

Pœnitudo sine conversione non prodest. *Serm. 3.*

Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.

Mundialis (consolatio) vilis est, & ad nihilum utilis; & quod magis est metuendum, etiam veræ

ac salubris consolationis est impedimentum.

Omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam: Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem; superbus vero & cum ratione & contra rationem.

Serm. 1. in Nat. Dom. Sola quæ ex Deo est, sapientia salutaris est.

Serm. 3. Christus, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. Et quisquis aliud docet vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum.

Agnosce, ô! homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.

Sicut gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina; sic ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim pretiosissimas species frustra insumeret Medicus.

dicus ſapiens, imo ſapientia ipſa.

Erubeſcimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum gloriamur. *Serm.1. de Circumciſ.*

Inverecundi ab obſcænitatem culpæ, erubeſcimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ eſt: male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi.

Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari. Nos & eſſe volumus, & nolumus æſtimari.

In membris noſtris ſæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio. *Serm 3.*

De te, Domine, ſuppleo, quod minus habeo in me. *Ser.1.in Epiph.*

Noli contemnere Dei miſericordiam, ſi non vis ſentire juſtitiam.

Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immenſus eſt enim Deus & infinitus in juſtitia, ſicut & in miſericordia.

Interdum contra vitia loquimur, *Serm.3.*

& genus illud sermonis perutile?

Necesse est ut qui perfecte terrena contempsimus, flagranti desiderio cælestia requiramus.

Duas alas habeat oratio nostra contemptum mundi, & afflictionem carnis.

Omnibus nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quàm simplicitas humilis, & gravitas verecunda.

Serm.4. Sicut grandis & gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare Prælato; ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori.

Sicut summa & intolerabilis superbia est, superiori se præponere; ita inferiori se subdere summa & plena justitia est.

Serm.1 in Dominica 1. post Oct. Epiph. Quamdiu de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus.

Serm.1. Nunquam deest persecutio Chri-

ſtiano, ſed neque Chriſto: & nunc, quod gravius eſt, ipſi Chriſtum perſequuntur, qui ab eo utique Chriſtiani dicuntur. *in conuerſione S. Pauli*

Heu, heu, Domine Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum. Miſera eorum converſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubverſio eſt.

Vereor, dilectiſſimi, ne quis forte ſit & in nobis Domini perſecutor, quia manifeſta docuit ratio impedire ſalutem eſſe perſequi Salvatorem.

Quis ſervus ſufficere ſibi putat non perſequi dominum, ſed nec obſequi domino?

Nemo dicat in corde ſuo: Levia ſunt iſta, non curo corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimiſque peccatis. Hæc eſt enim impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum, blaſphemia irremiſſibilis.

Probat oris confeſſio, cordis humiliationem. *Serm. 2.*

Triplici velut ariete mansuetudo nostra pulsatur, verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse.

Quales sumus, nosse possumus ex parte; quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est.

Serm. 2. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est?

Serm. 2. *in cap. jejunij.* Jejunandum longe amplius à vitiis, quàm à cibis.

Serm. 4. Pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis quæ prius commisimus, illicita condonantur.

Jejunium orationi devotionem & fiduciam donat.

Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi.

Oratio sanctificat jejunium, & Domino repræsentat.

Poteſt inimicus excitare tentationis motum; ſed in te eſt, ſi volueris dare ſeu negare conſenſum. *Serm. 5.*

Sicut ad orationem accedimus, ſic redire videmur.

Tanta ſuper te cura eſt Deo tuo, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat ſuper hoc, ſed mutet illud utiliori dono.

Sit oratio, quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta.

Sit oratio, quæ pro virtutibus eſt animæ, etiam ab omni importunitate libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta.

Sit ea quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præſumens de ſola, ut dignum eſt, miſeratione divina.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec ſi unus omnes ſuſtineat. *Serm. 1. in feſto Annũc.*

Merita omnia dona Dei ſunt, & ita homo magis propter ipſa Deo debitor eſt, quàm Deus homini.

De remiſſione peccatorum vali-

dissimum teneo argumentum, Dominicam Passionem.

Prior justitiæ portio, non peccare: secunda, per pœnitentiam damnare peccatum.

Est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus.

Serm. 1. *in Cœna Domini* Licet damnationem abstulerit Christus, tamen ad humiliandos nos concupiscentiam adhuc patitur vivere in nos, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper illius auxilium requiramus.

De minoribus peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superamus.

Neminem audiamus, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur alio-

rum manibus, non noſtra levitate.

Proh dolor! peccandi tempus terminus recidendi facta eſt reſurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comeſſationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiſcentiis fræna, quaſi ad hoc ſurrexerit Chriſtus. *Serm. 1. in feſto Paſch.*

Quid minus reverentiæ Reſurrectionis tempus exigit, quàm Paſſionis?

Fidei vitam opera atteſtantur: ſicut corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. *Serm. 2.*

Vita quidem corporis eſt anima, per quam movetur & ſentit; vita vero fidei charitas eſt, quia per illam operatur.

Videas multos, ſincera licet intentione, & benigno accedant animo, leviter dicere, quod graviter audiatur.

Univerſa pro eo ſuſtine, qui prior majora pro te ſuſtinuit.

Quid odit aut punit Deus quàm *Serm. 3.*

propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit.

Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.

Serm. 1. in Oct. Paschæ. Neque indignum est Deo eorum fieri patrem, quorum se Christus fecerit fratrem.

Carnis concupiscentia ipsius mortificatione vincatur.

Certum triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges & subjicias servituti, ne perniciosa libertate serviat voluptati: si fletui præbeas oculos magis quàm petulantiæ vel curiositati: si denique spirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati.

Serm. 2 Non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia.

Sane novum ſuperveniſſe ſpiritum certiſſime converſatio nova teſtatur.

Primum opus fidei per charitatem operantis, cordis compunctio eſt. *Serm. 1. in Aſc. Domini*

Non nocet concupiſcentiæ ſenſus ſine conſenſu.

Majora Chriſto, per Chriſtum tamen fecit Petrus. *Serm. 3.*

Spiritus Jeſu ſpiritus bonus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus rectus, ſpiritus dulcis, ſpiritus principalis. Quicquid in hoc ſæculo nequam videtur difficile & anguſtum, leve facit & latum; opprobrium gaudium judicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet.

Oportebat Chriſtum aſcendere, ut nos aſcendere doceremur. *Serm. 4.*

Quia non erat quo aſcenderet Altiſſimus, & ſuo nobis aſcenſu ſuavem ac ſalubrem dedicavit aſcenſum. Deſcendendo Chriſtus aſcendit

Quid prodeſt ſcire quo ſit eundum, ſiquidem qua debeas ire non noveris.

Sollicitus esto ascendere non modo cogitatione cælestis gloriæ, sed & conversatione, quæ cælestem gloriam mereatur.

Utiliter orationis tempore, corporalis loci secretum quærimus.

Serm. 1. in festo Pentec. Quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia? Remissionem peccatorum Spiritus Sanctus operatur. Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Quod postulamus idem ipse donat, qui donat ut postulemus.

Serm. 3. Vere multiplex spiritus, qui tam multipliciter datur, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Siquidem conceditur ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem.

Omnis nobis, ni fallor, datus est spiritus ad salutem, ad fervorem non ita: pauci enim sunt qui hoc spiritu repleantur.

Eſt tantum lucere vanum, tantum lucere parum: ardere & lucere perfectum. *Serm. in Nativ. S. Ioan. Bapt.*

Fervorem ab omnibus exigit Dominus, ſplendorem non ita.

Sapientis ardor internus foris lucet.

Eſt conſentire, ſilere cum arguere poſſis.

Similis pœna facientes manet & conſentientes.

In Sanctorum Vigiliis neceſſe eſt vigilare hominem ſpiritualem, qui ſolemnitates eorum celebrare deſiderat in ſpiritu & veritate. *Serm. in Vigil. SS. Petri & Pauli Apoſt.*

Tria ſunt quæ in feſtivitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus, auxilium Sancti, exemplum ejus, confuſionem noſtram.

In Sanctorum feſtivitatibus & gaudere & confundi debemus; gaudere, quia patronos præmiſimus; confundi, quia eos imitari non poſſumus.

Quàm potentiores ſunt in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris!

Serm. 1. in festo SS. Petri & Pauli Apost. Bonam vitam ego puto & mala pati & bona facere, & sic perseverare usque ad finem.

Non bene vivit nisi qui bonum facit.

Arbitror quod tu qui in Congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter & humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo.

Est quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. Primum est austeritas pœnitentiæ. Secundum, vexatio alienæ malitiæ. Tertium, flagellum correctionis divinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod à proximo, patienter ferre; quod à Deo, sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere.

Serm. 2. Studeamus vivere vita justorum; sed morte justorum mori multo magis desideremus: sapientia enim justorum novissima præfert, ibi nos judicans, ubi nos invenerit.

Hæc spiritualis est exercitij summa, hæc forma studij spiritualis,

ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostra præterita, futura quoque sollicite provideamus.

Justa satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salutis præteriere tempora, redimantur.

(Dei) datum optimum & donum perfectum est consummatio felix, & mors preciosa.

Eorum qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave & onus leve, priusquam devotionis gratiam & consolationes acceperint Spiritus Sancti; eorum, inquam, copiosa redemptio est. At eorum, qui post conversionem suam peccatis & vitiis implicantur ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt tepidi & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retroeunt Apostatæ manifesti, eorum utique paucos invenias qui Serm. 3.

post hæc redeant in gradum pristinum. Nec tamen si quis hujusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit cito. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius.

Serm. 1. in Dominica 6. post Pentec. Evangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor, nec lætetur cum male fecerit.

Serm 2. Sic onerat me miserationibus suis Deus, sic obruit beneficiis suis, ut onus aliud sentire non possim.

Peremptiora res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis.

Nihil ita displicet Deo, præsertim in filijs gratiæ, in hominibus conversionis; quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet.

Aliquando deseruntur à gratia, quàm non ut gratiam venerantur, plusquam expediat, divinæ mise-

ricordiæ immemores.

Oportet gratum esse hominem & deuotum, qui percepta gratiæ munera non modo manere sibi, sed & multiplicari.

Tribus modis à peccato me meminí conservatum, occasionis substractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. *Serm.3.*

Primus continentiæ nostræ hostis caro est, adversus spiritum concupiscens. Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, nec fugare. Circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis. Nam quod periculosius est & miserabilius, hostem nostrum cogimur sustentare, perimere eum non licet.

Gratiam promerendi bona æternæ vitæ in tribus constare arbitror, in odio præteritorum malorum, & contemptu præsentium bonorum, & desiderio futurorum.

Tria considero in quibus tota spes mea consistit, charitatem ado-

ptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.

Serm. 1. in Natal. S. Victori. Non recti plane, sed perversi est animi ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem, & velle coronam qui legitime non certaverit.

Frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui non claruit virtute.

Quæ sine virtute est gloria, profecto indebita venit, præpropere affectatur, periculose captatur.

Virtus gradus est ad gloriam, virtus mater gloriæ est. Sola est cui gloria jure debetur, & secure impenditur.

Tutius sane æmulanda solidiora, quàm sublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus.

Serm 2. Nunquid cælestis habitatio animas, quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Latitudo cæli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes, non alienat: affectiones non contrahit, sed

ſed extendit. In lumine Dei ſerenatur memoria, non obſcuratur. In lumine Dei diſcitur quod neſcitur, non quod ſcitur dediſcitur.

Religioſa triſtitia aut alienum luget peccatum, aut proprium. *In feſto S. Magdal.*

Quis Dei miſericordiam indeſinenter attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet?

Felix anima, quæ ſic cuſtodierit corpus ſuum, ut nunquam ſibi vindicet corpus illud inimicus. *Serm. 2. in Aſſumpt. B. Virg.*

Felix Domus & beata ſemper congregatio eſt, ubi de Maria Martha conqueritur. *Serm. 3.*

Omnia ſunt nobis in Deo, & eſt Deus omnia in nobis.

Tria ſunt quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque à contemplatione veri luminis excludunt, tenebræ ſcilicet peccatorum, recordatio eorumdem peccatorum, cura terrenorum actuum. Quicumque ergo mentis oculum divinæ contemplationi vult intendere, profecto neceſſe eſt, ut cum

prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare.

Serm.1. de Virg. Dei-para. Rerum precia de raritate pensamus.

Sicut mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit.

Agit hoc in cordibus Electorum gratiæ prærogativa divinæ, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes.

Serm.1. In festo S. Mich. De excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera, ipsi quoque, ut dignum est, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.

Serm.4. In festo Tanta futura credenda est corporum levitas & agilitas beato-

rum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. *Omniũ. Sanct.*

Cogitare de Sanctis, quodammodo eos videre est. *Serm. 5.*

Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum.

Zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit. *Serm. 4. de verbis Isaya.*

Fit voluntas (Dei) de omnibus, fit per omnes, non tamen in omnibus. *Serm. 5.*

Sit gaudium in tribulatione, & jam non habet malignus unde illiciat, non habet unde dejiciat. *Serm. 1. in festo S. And.*

Nihil proficiet inimicus in eo, quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem.

Initium sapientiæ timor Domini, medium spes, charitas plenitudo. Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter. Qui proficit in spe, portat libenter. Qui vero consummatur in

charitate, amplectitur jam ardenter.

Nemo repente fit summus, ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ.

Meditatio docet quid desit, oratio ne desit, obtinet.

Meditatione agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus.

Sermo in obitu Humberti. Post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hîc neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem.

Serm. 1. in Dedicat. Eccles. Nec sine cruce sequi Christum, nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis potest.

Serm. 1. super Ps. 90. Sunt qui sperant in Domino, sed frustra, quia sic de misericordia ejus sibi ipsis blandiuntur, ut à peccatis suis non emendentur.

Serm. 2. Expedit omni animæ Deum semper attendere, tanquam proprium non modo adjutorem, sed etiam inspectorem.

Serm. 5. Consideranda est nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis dis-

pensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne forte periculosiores occurrant; ab aliquibus vero citius liberet, ut possimus in alijs, quas nobis utiliores fore prævidet, exerceri.

Adversus eos, qui convertuntur, primum esse certamen de molestijs corporis consuevit. Serm.6.

(Diabolus) quos perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur, ut cito consentiat, qui magnopere diligit bonum.

Merito quidem in sinistro latere positum esse dicitur cor hominis, quod affectio ejus prona sit semper & proclivis in terram. Serm.7.

Facile quoque ipsa petuntur propter Deum, quæ tamen non sunt secundum Deum. Et id sibi fieri quis obsecrat propter Deum, quod non desiderat propter Deum, magis autem forte contra Deum. Serm.9.

Convenientius spes nostra di-

citur quod ſperamus, quàm in quo ſperamus.

Perfecta charitas ſolum ſitit quod ſummum eſt.

Serm. 10. Dilige carnem tuam, tanquam tibi datam in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis conſortium præparatam.

Sic amet anima carnem, ut non ipſa in carnem tranſiſſe putetur.

Suſtinete virgam corripientem, ne ſentiatis malleum conterentem.

Studioſius à malo, quàm à flagello declinandum.

Ser. 11. Propterea terrenis inhiat anima, quod cæleſtia minime meditetur.

Ser. 12. In quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe.

Ser. 14. Perverſi cordis eſt occaſiones ingratitudinis veſtigare.

Ser. 15. Onerat nos, cum exonerat Deus; onerat beneficio, cum exonerat peccato.

Et ipſe timor firmiſſima quædam & efficax materia ſpei.

Ex perceptione præſentium firma eſt expectatio futurorum.

Quid agimus, ex quo primum incipimus vivere, niſi morti appropinquare, & incipere mori? *Serm. 17.*

Gloriemur in tribulatione, in ea ſiquidem ſpes gloriæ eſt.

Expedit ei, qui ſemper anima moritur, ut corpore citius moriatur. *Serm. 1. de diverſis.*

Servire nobis videntur aliqua, ſed cum labore noſtro, nec niſi ſervierimus eis. Jumenta ipſa niſi fuerint à nobis nutrita, niſi domita, niſi fuerint pabulo ſuſtentata, non adjuvant. Terra ipſa, quæ debuerat nobis eſſe germanior, non ſine ſudore vultus noſtri panem nobis miniſtrat. Et cætera omnia, ſi diligenter conſideremus, ſervitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis.

Eſt bona conſolatio de ſpe ſalutis æternæ. *Serm. 3.*

Primus contemplationis gradus iſte eſt, ut inceſſanter conſideremus quid velit Dominus, quid *Serm. 3.*

placeat ei, quid acceptum sit coram ipso.

Serm. 8. Tripliciter mihi videntur homines esse sub Principe tenebrarum. Primum quidem nec volentes nec nolentes, quod convenit his, qui necdum habent voluntatis vsum, sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum. Secundo modo volentes, cum jam voluntarie peccant. Tertio quoque modo nolentes, cum jam resipiscere vellent, nisi quod peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei judicio, qui in sordibus sunt, sordescunt adhuc.

Eccle-siastic. 1. Timor Domini, ut ait scriptura, expellit peccatum; sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane illud quidem pœnitendo, hoc resistendo.

Ser. 12. Omnis laboris remedium alterius laboris initium est.

Validior est & vehementior spiritus timoris ad resistendum peccato; quàm pudor & dolor: quia pudor de multitudine, & dolor de qua-

qualicumque hujus mundi consolatione capit solatium, timor vero non invenit unde consoletur.

Invenisti plane sapientiam, si *Ser. 15.* prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvi pendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas.

Insidiatur voluptas sanitati, & *Ser. 16.* tam subtili malignitate persequitur, ut vix eam quis vel possit cavere, vel noverit.

Omnes nobis caussamur deesse *Ser. 17.* gratiam, sed justius forsitan ipsa sibi queritur deesse nonnullos.

Viæ Domini rectæ, viæ pulcræ, *Ser. 21.* viæ plenæ, viæ planæ: rectæ sine errore; pulcræ sine sorde, quia docent munditiam; plenæ multitudine, quia totus mundus est intra Christi sagenam; planæ sine difficultate, quia donant suavitatem.

Scientia Sanctorum est hîc temporaliter cruciari, & delectari in æternum.

Exigunt à me præterita pecca- *Ser. 22.*

ta mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ser. 23. Ad ſpiritum debet fieri converſio carnis, ut ſerviat ipſa, & non ſerviatur ei.

Ser. 25. Omnino oportet orationis tempore curiam intrare cæleſtem, illam utique curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum Spirituum exercitu.

Quamvis ubique ſit Deus, in cælo tamen orandus eſt, ibique orationis tempore cogitandus.

Ser. 26. Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, ſubjectam eſſe creatori; ſed à creatura rationali voluntaria ſubjectio quæritur.

Ser. 27. Quantos videmus quaſi oblitos ſui, & peccatorum ſuorum, Dei quoque & beneficiorum ejus?

Quam multos videmus & plangimus, qui dummodo maneat habitus & tonſura, ſalva ſibi omnia arbitrantur.

Dignum valde eſt, & omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus à conſtitutione mundi regnum paratur, ipſi etiam ſe ſe regno parare non negligant, ne parato regno inveniantur forſitan, qui regnaturi fuerant, imparati. *Ser. 28.*

Facilius membrum inhærens capiti, ſi deforme eſt, reformatur, quàm divulſum, quamlibet ſimile, copuletur.

Non locus homines, ſed locum homines ſanctificant. *Ser. 30.*

Nuſquam eſt ſecuritas, in cælo enim cecidit Angelus ſub præſentia Divinitatis, Adam in paradiſo de loco voluptatis, Judas in mundo de ſchola Salvatoris.

Oportet reprimere, quem extinguere non poſſumus appetitum. *Ser. 31.*

Miniſter Chriſti ſic debet converſari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, exiſtimetur compoſitio interioris animi qui non videtur. *Ser. 32.*

Ne à memoria repellat Deum

irruens turba plurimarum cogitationum, quæ ſolent effluere, tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam Janitor cujus nomen eſt RECORDATIO PROPRIÆ PROFESSIONIS: Similiter ad portam voluntatis, in qua ſolent manere deſideria, tanquam in domo domeſtica familia, ſtatuatur Oſtiarius qui vocatur RECORDATIO CÆLESTIS PATRIÆ. Jam vero ad thalamum rationis talis & tam ferox adhibendus eſt Cuſtos, qui nemini parcat; ſed quicumque hoſtis ſive clam, ſive palam ingredi præſumpſerit, procul eum arceat, & hic ſit RECORDATIO GEHENNÆ.

Ser. 33. Hæc eſt profeſſio Fidei Chriſtianæ, ut qui vivit, jam non ſibi vivit, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt.

Ser. 35. Quiſquis vel aperte vel occulte ſatagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat, ipſe ſe ſeducit, ſi forte ſibi quaſi de obedientia blandiatur: neque

enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit.

In congregatione plurimorum impoſſibile eſt unius omnes fortitudinis eſſe ſeu corporum ſeu morum. *Ser. 36.*

Ea ſemper magis attende, quæ alius habet, tu non habes, quod hæc cogitatio in humilitate te cuſtodiat, & à deſcenſu tepiditatis elonget, magis autem & accendat deſiderio proficiendi.

Si nolumus fruſtra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perſeveranter, ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, ſed nec ab illo ad aliud convertamur. *Ser. 37.*

Duplex malum, quod facimus, & quod patimur. Hæc autem, ut apertius dixerim, ſunt culpa & pœna. *Ser. 38.*

Sic pœna facit pro nobis adverſus culpam, ut vel omnino non ſit, vel ſit minor. Culpa vero nihilominus agit, ut aut non ſit, aut

minor ſit pœna. Non quidem ut omnino non ſit, ſive à quantitate ſua minoretur, quod nullatenus expediret; ſed ut non ſit pœna, aut minor ſit pœna, videlicet ut aut non ſit, aut minus ſit onerofa: quiſquis enim perfecte ſenſerit onus peccati, & animæ læſionem, exteriorem utique aut parum ſentiet, aut ex toto non ſentiet corporis pœnam, nec reputabit laborem quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri.

David conviciantis ſervi non reputavit injurias, memor filij perſequentis.

Ser. 39. Sicut laborantibus manibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abſtinet ab auditu, ſic imo & multo melius laborante corpore mens quoque ipſa ſuo intenta ſit operi, ut non vacet Cauſam laboris cogitet in labore, & ipſa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur, reputet: nam licet homo natus ſit ad laborem, ſed minime ad laborem creatus eſt.

Cognitio ſui ſtat in tribus, ut cognoſcat homo quid fecit, quid meruit, quid amiſit. Ser. 40.

Qui te perdidit, totum perdidit, Domine Deus.

Hæc duo ita ſibi invicem conjuncta ſunt, ut cognoſcere non poſſit, niſi pœniteat; pœnitere non poſſit, niſi ſe cognoſcat.

Pœnitentia anima compunctionis jaculo vulnerata, pœnitentia triplici, quia pœnitentiam amiſit, amiſſam non requiſivit, & negléxit patientiam Dei.

Convenit ut maceratio carnis fiat occulte, licentioſe, diſcrete.

Quicquid fit Paſtoris licentia, gratioſius eſt in conſpectu Dei.

Incipere multorum eſt, perſeverare paucorum. Ser. 41.

Quid prodeſt currere, & ante metam cursûs deficere?

Faciendum eſt ut à proſperitate animo ſeparemur, & adverſitatem animo complectamur.

Sunt quibus nondum natus eſt Chriſtus, ſunt quibus nondum eſt Ser. 44.

paſſus, ſunt quibus non reſurrexit uſque adhuc; aliis quoque nondum aſcendit, aliis nondum miſit Spiritum Sanctum.

Ser. 45. Eſt fides alia præceptorum, alia ſignorum, alia promiſſorum. Per fidem præceptorum credimus in Deum: per fidem ſignorum credimus Deum, qui talia poteſt, & omnia poteſt: per fidem promiſſorum credimus Deo, qui quicquid promittit, veraciter complet.

Ser. 46. Virginitas ſine humilitate habet fortaſſe gloriam, ſed non apud Deum.

Ser. 47. Eſt ſuperbia cordis, ſuperbia oris, ſuperbia operis, ſuperbia habitus.

Sicut anima vita eſt corporis, ita Deus vita eſt animæ.

Ser. 62. Quidam ſunt qui non ſequuntur Chriſtum, ſed fugiunt: alij non ſequuntur, ſed præeunt: nonnulli ſequuntur, ſed non aſſequuntur: alij vero ſequuntur, & conſequuntur.

Ser. 64. Illa quidem mors precioſa eſt,

quam commendat vita; preciosior, quam facit causa; preciosissima, quam prævenit vita simul cum causa.

Quodammodo naturale unumquemque velle sive in vitiis, sive in virtutibus associare sibi consortem. Ser. 71.

Integra & perfecta moralitas in duobus præcipue consistit, in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus, quoniam non sufficit à malo abstinere, si non & bonum faciamus.

Palearum est leviter accendi, & in momento consumi.

Malitia est amare malum, & saporem mali habere, & malum, quia malum est, diligere. Ser. 72.

Deus licet unus sit & unum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diversos videtur habere sapores: sapit enim timenti justitiam & potentiam: sapit amanti bonitatem & misericordiam. Ser. 73.

Initium sapientiæ timor Domini,

consummatio amor.

Ser. 79. Quidni abjiciat facile servus Christi, quicquid ad corpoream pertinet voluptatem? At vero spirituali jucunditate fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ charitatis ratio postulat, hoc plane magnum & Deo gratum offerre est holocaustum.

Ser. 80. Sunt quædam bona & jucunda; sunt quædam nec bona nec jucunda; sunt quædam bona & non jucunda; sunt quædam jucunda & non bona. De bonis & non jucundis pervenitur ad bona & jucunda: de iucundis & non bonis pervenitur ad non bona & non iucunda.

Spes æternorum expellit pusillanimitatem.

Ser. 82. Mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum.

Ser. 83. Est cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ duntaxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt.

Mens dedita vanitati, & arrogantia tumens, laudem alterius ſuam reputat vituperationem.

Habet anima tria facere in corpore, vivificare, ſenſificare, regere. Ser. 84.

Nihil adverſus nos malignus Spiritus poteſt, niſi miſſus aut permiſſus. Unde cum eius ſit voluntas ſemper mala, nunquam poteſtas eſt niſi iuſta: nam voluntas quidem mala ſeipſo ſibi ineſt, poteſtatem vero non aliunde quàm à Deo habet. Quam tamen poteſtatem ſemper moderatur Dominus, ne ſcilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quàm eorum exigant merita, qui puniuntur.

Duplex eſt operatio Sancti Spiritus; operatur enim in nobis aliud propter nos, aliud propter proximos. In quibus operibus cavendum eſt duplex periculum, ne vel illa quæ dantur propter nos, dividamus proximis, vel illa quæ propter proximos reſervemus nobis: ſi enim quæ pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantum no- Ser. 88.

bis, charitatem non habemus. Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus, non Deo in occultis cordis placere, humilitatem perdimus. Sic utroque modo periclitamur, hinc charitatem, illinc amittendo humilitatem. Et quis sine humilitate & charitate potest salvus fieri?

Quatuor sunt quæ impediunt Confessionem, pudor, timor, spes, desperatio.

Ser. 104 Si pudor est tibi uni homini & peccatori peccatum tuum exponere; quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit.

Præsentis temporis pœnitentia brevis est, & levis & fructuosa.

Ser. 106 In corpore possumus mala pati, & bona operari.

Ser. 107 Considerare debet is qui orat, & quid petit, & ipsum quem petit, & seipsum qui petit.

Ser. 108 Reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni.

Duo ſunt mala, quæ vel ſola vel maxime militant adverſus animam, vanus ſcilicet amor mundi, & ſuperfluus ſui. *Serm. 1. in Cant. Cant.*

Cæleſtis Medicus celerrime ſubvenit. *Ser. 3.*

Digni pœnitentiæ fructus ſunt opera pietatis.

Quantum creſcis in gratia, tantum & in fiducia dilataris.

Humilis & verecunda debet eſſe ſatisfactio, qua emendatur ſuperba tranſgreſſio. *Ser. 4.*

Recordatio ſolius judicij in baratrum deſperationis præcipitat: & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem. *Ser. 6.*

Non immerito ſponſæ nomine cenſetur anima quæ amat. *Ser. 7.*

Doctrina ſpiritus non curioſitatem acuit ſed charitatem accendit. *Ser. 8.*

Rachel formoſior, ſed Lia fœcundior eſt. *Ser. 9.*

Animarum nec reputatur caſus, nec ſalus. *Ser. 10.*

Charitas nullis exhauritur expenſis.

Ser. 11. Necessarius dolor pro peccatis: sed si non sit continuus, sane interpoletur lætiori recordatione divinæ clementiæ, ne plus pereat.

Ser. 12. Revereamur Episcopos, sed vereamur labores illorum.

Ser. 13. Magna & rara virtus profectò est, ut magna licet operantem magnum te nesciat, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem, mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare; hoc ego ipsis virtutibus mirabilius reputo.

Ser. 15. Non minus pium est docere animum scientiam, quàm præbere escam corpori.

Ser. 16. Qui legitur Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, legitur nihilominus Deus vltionum Dominus.

De his qui religiose vestiti & Religionem professi sunt, nonnunquam audivimus aliquos reminisci, & jactare impudentissime mala sua præterita, quæ aliquando vel fortiter gladiatorio, vel argute li-

teratorio gessere conflictu, seu aliud quid secundum mundi quidem vanitatem favorabilem: secundum animæ vero salutem nocivum, perniciosum, damnosum. Secularis animi indicium est hoc. Nonnulli talia quasi dolendo & pœnitendo rememorant; sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, sed seipsos illudunt.

Ipsa etiam inhonesta & turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur.

Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo superbus, quod laudes contemnit.

Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare.

Dignus plane est morte, qui tibi, Domine, recusat vivere, & mortuus est. Ser. 20.

Disce, ô Christiane, à Christo

quomodo diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare prudenter.

Ser. 21. Quàm pauci post te, ô Domine Jesu, ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit!

Sic, quamdiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hereditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis.

Avarus terrena esurit, ut mendicus; fidelis contemnit, ut dominus.

Ser. 22. Licet suavis Dominus universis, maxime tamen domesticis.

Qui eruit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens.

Ser. 23. Pauci profecto qui utiliter, pauciores qui & humiliter præsint.

Virtus discretionis absque charitatis fervore jacet; & fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat.

Hominis justitia indulgentia Dei.

Omnino

Omnino ſufficit adverſus os loquentium iniqua opinio bonorum, cum teſtimonio conſcientiæ. Ser.124

Cor felle livoris amarum per linguæ inſtrumentum ſpargere, niſi amara non poteſt.

Qui non placet Deo, non poteſt illi placere Deus: nam cui placet Deus, Deo diſplicere non poteſt.

Alij quidem nude atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomunt detractionis. Alij autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpitia, ſicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mœſto, dimiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſe proferri.

Omnis cura Sanctorum, ſpreto ornatu, cultuque ſuperfluo exterioris ſui hominis, qui certe cor-

rumpitur, omni diligentia se præbet & occupat excolendo ac decorando interiori illi qui ad imaginem Dei est, & renovatur de die in diem.

Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est.

Ser. 29. Proni sunt sensus hominis & cogitationes ad malum potius suspicandum, quàm ad bonum credendum.

Nescio quomodo etiam tenerius mihi astricti sunt, qui post increpatoria & per increpatoria tandem convaluerunt de infirmitate, quàm qui fortes ab initio permanserunt, non indigentes hujusmodi medicamento.

Ser. 30. In lacrymis pœnitentium vitæ odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.

Genus Martyrij est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diu-

turnitate molestius.

Cum mala in corde versamus, nostra cogitatio est; si bona, Dei sermo est.

Honorati incedunt in bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. *Ser. 33.*

(Diabolus) quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur.

Parum est, cum per seipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando & per alium hoc facit, sapiamus similiter. *Ser. 34.*

Humilitas justificat nos, non humiliatio.

Quanti humiliantur, & humiles non sunt! Alij cum rancore humiliantur, alij patienter, & alij libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxij, vltimi justi.

Est humilis qui humiliationem convertit in humilitatem, & ipse est qui dicit Deo: *Bonum mihi quia humiliasti me.* *Ps. 118.*

Sola gratiam, quam præfert, meretur læta & absoluta humilitas.

Luc. 14. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*; significat profecto non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum quæ de voluntate venit, nec ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit, sed tantum qui se exaltat, humiliabitur, nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat, exaltabitur: utique ob meritum voluntatis. Esto enim quod humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia, probra, damna, supplicia: non tamen idcirco recte ab alio quàm à semetipso humiliatus ille dicetur, qui illa omnia tacita & læta conscientia causa Dei subeunda decreverit.

Ser. 36. Sunt qui scire nolunt, eo fine tantum ut sciant, & turpis curiositas est. Sunt qui scire volunt, ut

ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt qui ſcire volunt, ut ædificent, & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt.

Cibus indigeſtus, & qui bonam non habet concoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus, transfuſa atque digeſta, quatenus de bonis quæ noverit, vita atteſtante & moribus bona efficiatur: nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos noxioſque humores?

Noveris te ut Deum timeas: noveris ipſum, ut æque eum diligas. *Ser. 37.*

Sine timore & amore Dei ſalus eſſe non poteſt.

Multi cum ſentiunt pœnam, corrigunt culpam.

Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia Dei itidem amor : ſic è contrario de ignorantia tui ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio.

Non eſt periculum quantumcumque te humilies, reputes minorem quàm ſis, hoc eſt quàm te veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modice plus vero te tollas, ſi vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam ſuperiorem. Quemadmodum enim oſtium tranſeas, cujus ſuperliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium baſſum ſit, non nocet quantumcumque te inclinaveris : nocet autem ſi vel transverſi digiti ſpatio pluſquam oſtij patitur menſura, erexeris, ita ut impingas, & capite quaſſato collidaris : ſic in anima non eſt

plane timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio.

Apostolus dicit, quod ignorantiam Dei quidam habent. Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad Deum. Neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia gravem & severum imaginantur, qui pius est: durum & implacabilem, qui misericors est: ferum & terribilem qui amabilis est. Ser. 38.

Habet malitia currum suum rotis quatuor consistentem sævitia, impatientia, audacia, impudentia. Trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, & ad omnem perniciem paratissimis, terrena potentia & seculari pompa. Porro præsident duobus his equis aurigæ duo, tumor, & livor. Ser. 39.

Luxuriæ currus quadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, ocij soporisque resolu-

tione. Trahitur equis duobus prosperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præsident duo, ignaviæ torpor, & infida securitas. Hi calcaria minime habent, neque flagella, vel aliquid hujusmodi. Sed pro his utuntur parvulo papilione conopeo ad faciendum umbram, & flabello adcitandum ventum. Porro conopeum dissimulatio est, umbram faciens & protegens ab æstu curarum. Flabellum vero effusio est ventum adulationis apportans.

Avaritia rotis & ipsa vehitur quatuor vitiorum, qui sunt, pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro jumenta trahentia tenacitas & rapacitas: & his unus auriga ambobus præsidet, habendi ardor. Sola siquidem avaritia quoniam conducere plures non patitur, uno contenta est servitore. Ipse vero injuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, vrgendis sane jumentis trahentibus

bus flagris utitur acerrimis, libidine acquirendi, & metu amittendi.

Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?

Volo irascaris mihi, Pater misericordiarum, sed illa ira qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maxime confido propitium: etenim cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. Ser. 42.

Parum est esse subjectum Deo,

nisi sis & omni creaturæ propter Deum.

Ser. 44. Quod non potest natura, potest gratia.

Ser. 45. Cedit fastus, ubi invalescit affectus.

Nec ociosa iteratio, quæ amoris confirmatio est.

In eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem?

Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi.

Spiritus est verbum, spiritusque anima, & habent linguas suas quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et verbi quidem lingua favor dignationis ejus, animæ vero devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans quæ hanc non habet, & non potest ipsi ullatenus sermo-

cinatio esse cum verbo.

Locutio, verbi infusio doni.

Præposterus ordo est ante meritum exigere præmium. Ser. 46.

Domum Dei spiritalem seipsum quisque agnoscat, qui tamen jam non in carne ambulet, sed in spiritu. *Templum enim Dei*, ait, *sanctum est, quod estis vos*. 1. Cor. 3. Curate ergo fratres, spirituali huic ædificio, quod vos estis, ne forte cum in superiora proficere cœperit, vacillet & corruat, si lignis fortibus non fuerit subnixum & colligatum: curate inquam, illi ligna dare imputribilia & immobilia, timorem videlicet Domini, illum castum qui permanet in seculum seculi: patientiam de qua scriptum est, quia *patientia pauperum non peribit in finem*: Psal. 9. longanimitatem quoque, quæ sub quovis structuræ pondere inflexibilis perseverans in infinita secula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Math. 10. Ma-

gis autem super omnia charitatem, quæ nunquam excidit, quia *fortis* Cant. 8. *est*, inquit, *ut mors dilectio*.

Ser. 47. Sap 7. Non sine causa sane multiplex spiritus à sapiente describitur, nisi quod sub uno litteræ cortice diversos plerumque sapientiæ intellectus tegere consuevit.

Vtrumque es mihi Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patientis. Vtrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit.

Ser. 49. Importabilis absque scientia est zelus.

Discretio omni virtuti ordinem ponit: Ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem.

Est discretio non tam virtus, quàm moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtutibus vitium erit.

Ser. 50. Si doles quod invides, sentis, sed non consentis.

Quoties pro administrandis terrenis justissime ipsis superſede-

mus celebrandis Missarum solemnijs? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem.

Inutiliter flos apparet, ubi non sequitur fructus. Ser. 51.

Cum præsto est quod amatur, viget & amor: languet, cum abest.

Non sane à prudente de diversitate sensuum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur, & charitas, cui scripturas servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros erudierit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos, verbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum usus! Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus & usibus accommodandos.

Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad sin-

Prov. gula dona gratias agere. *Diligenter*, inquit, *considera quæ tibi apponuntur*, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla.

Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.

Est locus inter timorem & securitatem, tanquam inter lævam & dexteram, media videlicet spes, in qua mens & conscientia molli nimirum supposito charitatis stratu suavissime requiescit.

Ser. 54. In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coràm Deo inveniaris non altum sapere, sed timere.

Interdum substrahitur gratia; sive retrahitur, non pro superbia quæ jam est, sed quæ futura est;

nisi subſtrahatur.

(Redundat) in deſpectum donantis, donum negligere, nec expendere ad quod donatum eſt.

Volo vultui iræ judicatus, non judicandus præſentari. Judicabo mala mea, judicabo & bona. Ser. 55.

Ego quoniam peccator ſum, diſſolui non cupio, ſed formido, ſciens quia mors peccatorum peſſima. Ser. 56. Pſ. 33.

Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum movet. Ser. 59.

Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi illud cognoſceris perſuaſiſſe. Validior operis, quàm oris vox.

Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? Ser. 61.

Meum meritum, miſeratio Domini.

Formidoloſa ſcrutatio Majeſtatis divinæ, at voluntatis tam tuta quàm pia. Ser. 62.

(In Deum) transformamur, cum Deo conformamur.

Ser. 64. Tentationes diversæ sunt pro temporum diversitate.

Ser. 65 Amor dignitatis nescius.

Omnibus una intentio Hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ.

Cum femina semper esse, & non cognoscere feminam, nonne plus est quàm mortuum suscitare?

Longe plus nocet falsus Catholicus, quàm si verus appareret Hæreticus.

Ser. 69. Amor Dei amorem animæ parit.

Ser. 71. Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua tibi bona non sint.

Ser. 72. Ego ut verum fatear, jam olim mihi persuasi in sacri preciosique eloquij textu nec modicam vacare particulam.

Ser. 83. Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor: præter se nõn requirit causam, non fructum.

Cum amat Deus, non aliud vult quàm amari; quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur; sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.

Purus amor mercenarius non est. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.

Non pedum passibus, sed desiderijs quæritur Deus. Non extundit desiderium felix inventio, sed extendit. *Ser 84.*

Non recte oras, si orando præter Verbum aliquid quæras, aut quod propter Verbum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. *Ser. 86.*

Longius à salute absistit membrum quod obstupuit; & ægrum sese non sentiens periculosius laborat. *De consideratione ad Eugeniũ Papam. lib. 1. cap. 1.*

Plaga recens dolore non caret. Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & eo insanabile, quo insensibile fit.

Dolor continuus & acerbus diuturnus esse non patitur. Nam si

non aliunde extunditur, necesse est vel cedat sibi. Enim-vero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem.

Gravis & continuus dolor citum habiturus est exitum, aut sanitatem profecto, aut insensibilitatem.

cap. 2. Nil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obsolescat.

Paulatim in cordis duritiam itur.

Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit.

Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia surdum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia

negligens, futura non providens; ipsum est cui præteritorum præter solas injurias nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum prospectio seu præparatio est: & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Etsi coacta servitus miserabilior, sed affectata miserior est; *cap. 4.*

Non præter æquum necessitati cedere. *cap. 7.*

Mihi videtur non omnino absurde definire temperantiam, qui hanc nec præcedere necessitatem, nec excedere dicat. *cap. 8.*

Qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes. *cap. 9.*

Malo alterius utere in bonum quod potes.

Ubi omnes sordent, unius fætor minime sentitur. *cap. 10.*

Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit. Quis enim unquam avarum avarus, immundum

immundus, luxuriosum luxuriosus erubuit?

Plena est ambitiosis Ecclesia.

Lib. 2. cap. 1. Sic se habent mortalium corda quod scimus cum necesse non est, in necessitate nescimus.

Perfecta & absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiæ suæ.

Si necesse sit unum fieri, è duobus malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi si dignetur me uti pro clypeo: non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam.

cap. 3. Etsi sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris.

cap. 5. Non est quod blandiatur celsitudo, ubi sollicitudo major.

cap. 6. Vindica tibi nobile genus similibus moribus.

Preciosissimus fundus virtus est.

cap. 7. Monstruosa res gradus summus, & animus infimus.

Omnia illi desunt, qui sibi nihil deesse putat.

cap. 8. Nec modò ovium, sed & Pasto-

rum tu unus omnium Paſtor.

Si conſideras quantus es, cogita etiam qualis. *cap. 10.*

Immoderata extentio extenuationem, & extenuatio nimia ſciſſionem facit.

Vigilanter diſcerne, qualis ex te, & qualis ſis ex dono Dei.

Sane inter conſiderandum qualis ſis, etiam qualis fueris, ad memoriam revocandum.

Magnus, qui incidens in adverſa, non excidit vel parum ſapientia: nec minor, cui præſens felicitas ſi arriſit, non irriſit. Quanquam facilius inveneris, qui ſapientiam retinuerunt, contrariâ ſibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderunt. *cap. 11.*

Cavendum & in ocio ocium eſt. *cap. 13.*

Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius, non facile dixerim.

Facilitas credulitatis hæc eſt cujus callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi caviſſe verſutias. *cap. 14.*

Lib. 3. cap. 1. O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places! inquietum & inquietans malum.

cap. 4. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria.

Lib. 4. cap. 2. Unusquisque secundum laborem suum accipiet, non secundum proventum.

cap. 3. Timor Domini simplicitas dicitur, ne dicam fatuitas.

cap. 4. Post factum sera retractatio est.

cap. 6. Patientius ferimus Christi jacturam, quàm nostram.

Rivus quà fluit, cavat terram: sic discursus temporalium conscientiam rodit.

Mira res, satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & cui suas committant facultatunculas, non inveniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. De pretio escarum, &

numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.

Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus ſcias.

Impunitas auſum parit, auſus exceſſum.

Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas, horum diſciplina cuſtos.

Inter mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet.

Opinio eſt, quaſi pro vero habere aliquid, quod falſum eſſe neſcias. *Lib. 5. cap. 3.*

Nil malumus ſcire, quàm quæ fide jam ſcimus.

Quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt. Proinde & ſi facere in tempore fuit, feciſſe in ſempiternum manet. Non tranſibit cum tempore, quod tempore tranſit: in æternum ergo neceſſe eſt te cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris. *cap. 12.*

Cernitur in nonnullis Sacerdo- *Tract.*

de mor. & officio Episc. cap. 2. tibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus.
a cap. 3. [a] Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute.

Quantalibet venustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen nec precium habet, nec meritum. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo; substrahe oleum, lampas non lucet.

Nec pure valet Dei vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit.

Bona oblivio si teipsum nescias, ut proximo prosis.

Bona mors & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit. Adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore.

cap. 4. Ordinis exigit ratio, ut qui ad sui mensuram proximum jubetur diligere, prius seipsum diligere norit.

Duo sunt præcipue, quæ bonam reddunt conscientiam, pœnitere de malis, & abstinere à malis: hoc

est,

eſt, ut verbis loquar B. Gregorij, & commiſſa flere, & flenda non committere. Horum neutrum ſufficit.

Juſtus ex fide vivit, ſed ex fide quæ vivat: neque enim quæ mortua eſt, vitam dare poteſt.

Solam juſtorum fidem, vivorum vivam fornax tentationum ſuſcipit examinandam.

Superbia eſt appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in ſpecies duas dividitur, in cæcam & vanam ſuperbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari poſſunt, contumacia & vanitas, quarum prior intelligentiæ, poſterior voluntatis vitium eſt: nam ex illa rationis fallitur oculus, & iſta voluntatis malæ appetitus afficitur. *cap. 5.*

Humilitas eſt contemptus propriæ excellentiæ.

Qui de ſeipſo ſentire humiliter novit, in neutro ipſius de ſe judicium falli poteſt, videlicet ut aut majus aliquid putet ſe eſſe, quàm ſit; aut à ſe eſſe quod non ſit: &

ideo patienter carens quod sibi novit deesse.

Non tutum plane, sed stultum, ibi thesaurum tuum recondere, unde non valeas resumere, cum volueris.

cap. 6. Singuli illiciti motus animi mei singula sunt quædam in te Deus convicia, ut puta, iracundiæ motus in mansuetudinem, invidiæ in charitatem.

Familiarius semper humilitati propinquare solet Divinitas.

cap. 7. Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera: nunc vero quia solum attenditur gloria, non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia.

Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt.

In alienam messem tuam mitte-

re falcem injuriosum est.

In alto positum non altum sapere difficile est, & ideo inusitatum. *cap. 8.*

Dedignatio subjectionis prælationis reddit indignum. *cap. 9.*

Neque quia prælati Monachis, non Monachi.

Quis magis impius an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem! Nonne is qui etiam mendacium addens geminat impietatem. *Apol. de vita & moribus Relig. cap. 1.*

Diversis morbis diversa conveniunt medicamenta, & fortioribus fortiora. *cap. 4.*

Unum (Ordinem) opere teneo, cæteros charitate.

Potest fieri, quia frustra tu laboraveris; ut autem ego frustra diligam bonum quod operaris, fieri omnino non potest.

Magna abusio, maxima cura est ut corpus regulariter induatur, & contra Regulam suis vestibus anima nuda deseritur. *cap. 5.*

In quo temetipsum extollis, perdis humilitatem; in quo alios de- *cap. 6.*

primis, charitatem.

Quis, quæso, vestrûm, Regulam melius tenet? An non melius, qui melior? Quis vero melior, humilior, an fatigatior?

Nullus Ordo quippiam recipit inordinatum: quod vero inordinatum est, ordo non est.

Non adversum Ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo: & quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo, quin imo gratum procul dubio accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt: si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id est vitia, damnari nolunt.

Bona misericordia misereri animæ tuæ, nec potest non mereri misericordiam qua fit ut placeas Deo.

cap. 8. Delicata nimis medicina est, prius alligari, quàm vulnerari.

Membrum non percussum plangere, & necdum suscepto ictu admovere manum, fovere unguento ubi non dolet, emplastrum adhibere ubi cæsura non est.

Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat. *cap. 9.*

Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.

Nemo fidenter reprehendit quo se esse irreprehensibilem non confidit. *cap. 10.*

Curiosæ depictiones, dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum. *cap. 11.*

Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget; suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.

Plus concupiscentia mundi quàm substantia nocet. *De contemptu mundi cap. 1.*

Hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix aut nunquam sine amore valeant possideri.

Facile cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret.

Qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento: imo vero maxime & principaliter abnega temetipsum.

cap. 5. Quis ea intentione gradus Ecclesiasticos & ministeria Sanctuarij quærit, ut sine curis seculi in sanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & suam pariter ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus, & verbo prædicationis?

Modico est natura contenta.

cap. 6. Utilis lectio, utilis eruditio, sed multo magis unctio necessaria; quippe quæ sola docet de omnibus.

Nemo repente fit turpissimus, & vix aliquis in hunc affectum nequitiæ, nisi prava consuetudine, pertransivit.

cap. 7. Indignus lana & lacte convincitur qui non pascit oves.

cap. 8. Triplex funiculus qui difficile

rumpitur, hominem miserum in perniciem trahit, qui impune intrat, qui indigne ministrat, sed & ipso fructu abutitur temporali.

Ulcus pessimum, quod nec summis saltem digitis patitur attrectari. *cap. 9.*

Ab altiori gradu casus gravior.

Malum impunitum esse non potest.

Misera sane & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum Diabolo stridorem eligere sempiternum.

Neque ad hoc nos de Paradiso voluptatis animadversio divina ejecisse videtur, ut alterum tibi hîc Paradisum adinventio humana pararet. *cap. 10.*

Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.

Tempus hoc animabus, non corporibus, est assignatum. *cap. 11.*

Salvator advenit tollere peccata mundi, non molestias carnis: quod sane manifestius docuit in semetipso, pœnis omnibus corpus exponens, animam autem immunem prorsus custodiens à peccato.

cap. 15. Minime suis contentus exemplis, Salvator etiam præmia repromittit, ut quem forte non provocat invitatio præcedentis, trahat vel desiderium retributionis.

cap. 16. Nihil preciosius tempore; sed heu nihil hodie vilius æstimatur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat.

cap. 21. Pretiosa quidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.

Filiis Israël, donec terram promissionis intrarent, manna non defuit.

cap. 22. Gaudium in Spiritu Sancto, gaudium non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus.

Tract. de diligendo Deo. cap. 4. Justum est, ut quos præsentia non delectant; præsto eis sit memoria futurorum; & qui de rerum

fluentium

fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delectet æternitatis.

Dei quærentibus & suspirantibus præsentiam, præsto interim & dulcis memoria est; non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant unde satientur.

Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque intuitu præmij diligendus sit. *cap 7.*

Verus amor seipso contentus est, habet præmium, sed id quod amatur.

Verus amor præmium non requirit, sed meretur.

Hoc stultum & extremæ dementiæ est, ea semper appetere quæ nunquam non dico satient, sed nec temperent appetitum, dum quicquid talium habueris, nihilominus non habita concupisces.

Causa diligendi Deum, Deus est. Ipse fecit, vel potius factus est ut amaretur: ipse speratur amandus, ne in vacuum sit amatus: eius amor nostrum & præparat & remunerat.

Non dubium quod tepida ſit omnis oratio, quam non prævenerit inſpiratio.

cap.8. Proximum pure diligere quomodo poteſt, qui in Deo non diligit? Porro in Deo diligere non poteſt, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligi prius, ut in Deo diligi poſſit & proximus.

cap.15. In primis diligit ſeipſum homo propter ſe. Diligit in ſecundo gradu Deum, ſed propter ſe, non propter ipſum. Guſtato quàm ſuavis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, ut diligat Deum, non jam propter ſe, ſed propter ipſum. Sane in hoc gradu jam ſtatur, & neſcio ſi à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut ſe ſcilicet diligat homo tantum propter Deum. Aſſerant hoc, ſi qui experti ſunt; mihi, fateor, impoſſibile videtur.

Nemo (in cælo) ſe cognoſcet ſecundum carnem, carniſque amor amore ſpiritus abſorbendus.

De gra- Deus eſt author ſalutis, liberum

arbitrium tantum capax, nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. *tia & lib. arb. cap. I.*

Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia. *cap. 5.*

Bonus est panis, sed esurienti; potus delectat, sed sitientem.

Saturato cibus potusque jam nequaquam sunt grata, sed gravia.

Liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos. Ex ipso nobis velle, ex ipsa bonum velle. Aliud velle, aliud velle bonum: quemadmodum namque aliud est timere simpliciter, aliud timere Deum; & aliud amare simpliciter, aliud est amare Deum: quippe timere & amare simpliciter quidem prolata, affectiones; cum additamento autem virtutes significant: ita quoque aliud est velle, aliud velle bonum. *cap. 6.*

A Deo velle quomodo & timere, quomodo & amare, accepimus in conditione naturæ, ut essemus aliqua creatura. Velle autem bonum quomodo & timere Deum,

quomodo & amare Deum, accipimus in visitatione gratiæ; ut simus Dei creatura.

Creati quodammodo nostri per liberam voluntatem, quasi Dei efficimur per bonam voluntatem.

Dum per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodo interim non sumus Dei; sicut cum per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli. Cæterum sive Dei sumus, sive diaboli, non tamen similiter desinimus esse nostri. Manet quippe utrobique libertas arbitrij, per quam maneat & causa meriti; quatenus merito vel puniamur mali, quod tanquam liberi ex propria voluntate efficimur; vel glorificemur boni, quod nisi æque voluntarij esse non possumus.

Sane diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas. Deo subjicit ejus gratia, non nostra voluntas.

Perfecta conversio est ad bonum, ut nihil libeat nisi quod de-

ceat vel liceat. Perfecta in bono confirmatio, ut nil desit jam quod libeat.

Corruit(homo)de posse non peccare in non posse non peccare. *cap. 7.*

Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam libertatis. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset.

Peccantis lapsus non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis.

Et si datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet.

Manet etiam post peccatum liberum arbitrium; etsi miserum, tamen integrum. *cap. 8.*

Mala quæ tolerantur (apud inferos) cogunt pœnitere malorum quæ facta sunt. *cap. 9.*

Qui non vult quod justum; justa ejus voluntas non est.

Duo sunt quæ injustam comprobant voluntatem, vel cum peccare,

vel cum impune peccare libeat.

cap. 11. Nemo salvatur invitus.

Velle plane convincimur quod non fieret, si nollemus.

Non liberi arbitrii, sed Domini est salus: imo ipse salus, ipse & via est ad salutem.

Dei sunt procul dubio munera tam nostra opera, quàm eius præmia: & qui fecit se debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his.

Iustum est ut reddat (Deus) quod debet: debet autem quod pollicitus est.

De præcepto & & dispensat. Dei Regula Charitas Regulæ sancti Benedicti iure præponitur.

cap. 4. Prælati iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis.

cap. 5. Absque necessitate remissio voti, non dispensatio, sed prævaricatio est.

cap. 6. Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod

injungitur ſpontanea vigore liberalis alacriſque animi modum non conſiderans in infinitam libertatem extenditur.

Ocium non eſt, ſi non omnino ratione vacuum eſt. *cap. 8.*

Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus. *cap. 9.*

Ipſum quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ aperte non ſunt contra Deum, audire debemus.

Elatio contemnentis atque impœnitentis obſtinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis. *cap. 11.*

Non eſt idipſum nolle obedire, & non obedire. Hoc quippe, interdum erroris eſt, nonnunquam & infirmitatis: illud vero aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.

Non qualiſcumque mandari præteritio criminalem facit inobedientiam, ſed repugnare, ſed nolle obedire.

cap. 12. (Superbiam) facile cavet, qui timet & gehennam.

cap. 13. De male quoque viventibus Prælatis, Dei præceptum eſt: *Quæ dicunt, facite.*

Profeſſus quiſque cum in aliquo forte regularium mandatorum deliquerit, ſi ad remedium æque regulare confugerit, etſi conuincitur tranſgreſſor mandati, non tamen pacti prævaricator.

Regulares terminos, etſi ſæpe deliquerit, non evadit, qui cenſuræ, quæ ex Regula eſt, diſciplinam non ſubterſugit. Pars ſiquidem Regulæ eſt regularis correctio, & in ea reperitnr non ſolum bonæ vitæ inſtructio, ſed etiam emendatio pravæ. Inveniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, ut ne peccando quidem à Regula recedatur.

Omnis res melius divisione innotescit. *cap.14.*

Levius admodum peccatur ubi sana intentione sola reprehensibilis actio foris apparet, quàm ubi maligna latet etiam mala actione intentio.

Quod absque vel minimo peccato non est, purum bonum minime est.

Certa pro dubijs relinquere tutum non est. *cap. 16.*

*S*æpe quod facile volumus antequam probemus, experti jam nolumus.

Boni usus à Regula non discordant.

Non omnes omnia tenent, etiam boni Christiani, quæ in Evangelio sunt; omnes tamen secundum Evangelium vivunt. Nam qui concessis alligari conjugijs contenti sunt, non ideo tamen credunt se recessisse ab Evangelio, quia Evangelici sublimitatem consilij de cælibe ducenda vita non elegerunt.

Tolerabilius ſcandalum illud eſt & venialius, quod factum eſt intentione proficiendi in melius.

cap. 19. Nunquam mihi contingat turbatum ad patris accedere ſacrificium, cum ira & diſceptatione contingere ſacramentum, in quo Deus indubitanter eſt mundum reconcilians tibi.

cap. 20. Spe jam in cæleſtibus habitamus, cùm adhuc re ipſa in terris peregrinemur & in corpore.

De Gradibus humilitatis & Superbiæ. cap. 1. Humilitas eſt virus, qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit.

Pſ. 24. *Dulcis & rectus Dominus.* Dulcis, quia perire non patitur: rectus, quia punire non obliviſcitur.

cap 3. Miſeria fratris verius miſero corde ſentitur.

Vt ob alienam miſeriam miſerum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoſcas, ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris qualiter illi ſubvenias.

Æger ægro, & jejunus jejuno

quanto propinquus, tanto familiarius compatiuntur.

Fruſtra tibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. *cap. 6.*

Cognoſcetur certe Dominus judicia faciens qui nunc ignoratur miſericordiam quærens. *Pſ. 9.*

Arcta via cautius inceditur ſtrictim: ardua ſcala tutius pedetentim aſcenditur. *cap. 9.*

Cave prohibitum, ne perdas conceſſum. *cap. 10*

Quid audes oculos levare ad cælum, qui peccaſti in cælum? Terram intuere, ut cognoſcas teipſum. Ipſa te tibi repræſentabit, quia terra es, & in terram ibis.

Ideo naſcimur morituri, quia prius morimus naxituri.

Turpe eſt ei qui ſe ſupra cæteros jactat, ſi non plus cæteris aliquid agat, per quod vltra cæteros appareat. *cap. 14.*

Tribulatio vere pœnitentes diſcernit. Qui enim veraciter pœ-

nitet, laborem pœnitentiæ non abhorret; ſed quicquid ſibi pro culpa, quam odit, injungitur, tanta conſcientia patienter amplectitur.

Glorioſa res humilitas, quia ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat.

cap. 21. Poſtquam terribili Dei judicio prima flagitia impunitas ſequitur, experta voluptas repetitur, repetita blanditur.

Melius tanquam non orantes oramus.

Tract. de nova militia ad milites Templi. cap. 1. Impavidus profectò miles, & omni ex parte ſecurus, qui ut corpus ferro, ſic animum fidei lorica induitur. Vtriſque nimirum armis nec Dæmonem timet, nec hominem.

O! vita ſecura, ubi pura conſcientia. O! vita, inquam, ſecura, ubi abſque formidine mors expectatur, imo & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione.

Quid vel vivens, vel moriens

metuat, cui vivere Christus est, & mori lucrum?

Infelix victoria, qua superans hominem succumbis vitio.

Ira tibi aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato. *cap. 3.*

Sic Christus sic novit vlcisci in hostes suos, ut non solum de ipsis, sed per ipsos quoque frequenter soleat tanto gloriosius, quanto & potentius triumphare.

Peccatoris & maligni tantis proculdubio (prodest) conversio quantis & prior nocuerat conversatio. *cap. 5.*

Sic divitias divinæ misericordiæ cogites, quatenus horrorem judicij nequaquam dissimules. *cap. 8.*

Amplius monet ad pietatem mortis quàm vitæ Christi recordatio: puto quod illa austerior, hæc dulcior videatur. *cap. 11.*

Vita Christi vivendi mihi regula extitit, mori à morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit.

Quia utrumque nobis necessarium erat, & pie vivere, & secure mori, & vivendo vivere (Christus) docuit, & mortem moriendo securam reddidit.

Nil profecto congruentius quàm ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam.

Mors in Christi morte fugatur.

Per Spiritum qui ex Deo est, charitas diffusa est in cordibus nostris: sicut & per carnem, quæ est ex Adam, manat concupiscentia nostris insita membris.

Non metuendum quod donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo & tanta passo pro peccatoribus desit.

cap. 12. Bonus pudor est quo peccasse, aut certe peccare confunderis.

Ministros verbi Sacerdotes caute necesse est ad utrumque vigilare sollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritio-

nisinfligant, quatenus eos nequaquam à verbo confessionis exterreant, sic corda apperiant, & ora non obstruant, sed nec absolvant etiam compunctum, nisi videant & confessum, quandoquidem corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Conversio animarum opus divinæ vocis est; non humanæ. *Tract. de Conversione ad Clericos. c. 4.*

(Post mortem) pœnitentia haberi poterit, agi non poterit. Pœnitentiam quidem habere, dolere est: pœnitentiam agere, remedium doloris est.

Quisquis ante obitum carnis non redierit ad (cor) in seipso maneat necesse est in æternum. Sed in quali seipso? Qualem se fecerit in hac vita, qualem invenerit exiens ab hac vita.

(Post mortem) melior, qui malus est, nunquam erit.

(In damnatis) peccati ipsius & carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, ut quemadmodum culpa semper puniri pote-

rit, nec unquam poterit expiar: ſic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipſum exinaniri valeat in tormentis. Merito quidem ultio ſempiterna deſæviet, quod numquam poſſit culpa deleri: & nec carnis ſubſtantia deficiet, ne ſimul cogatur etiam afflictio carnis terminari. Hæc qui pavet, cavet.

cap. 5. Optimum eſt tunc ſentiri vermem, cum poſſit etiam ſuffocari. Itaque mordeat nunc ut moriatur, & paulatim deſinat mordere mordendo. Rodat interim putredinem, ut rodendo conſumat, & ipſe quoque pariter conſumatur, ne foveri incipiat in immortalitatem.

(Benignus Deus) maxime inter initia converſionis oleo miſericordiæ linit vlcera, ut nec morbi quantitas, nec difficultas curationis vltra quàm expedit innoteſcat; magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ poſtmodum evaneſcit, quando jam exercitatos habenti

habenti ſenſus certamen forte datur ut vincat, & diſcat quoniam omnium eſt fortior ſapientia.

Spiritualia vitia difficile adhuc prout ſunt, carnalis examinat.

Vanum tibi eſt, dum adhuc ſordes influant, exhaurire; dum peccare non deſiſteris; pœnitere. *cap. 6.*

Hoc conſilium pietatis, ut qui ſibi diſplicet, placeat Deo. *cap. 7.*

Humiliatio tranſeat in humilitatem, neceſſitas in virtutem.

Non eſt via ad regnum Dei ſine primitijs regni: nec ſperare poteſt cæleſte regnum, cui nec ſuper propria membra adhuc regnare donatur.

Ligatus es, ſoluere ſtudeas, quod rumpere omnino non poſſis.

Vanus utique labor qui ſtudio vanitatis aſſumitur. *cap. 8.*

Vſus quidem divitiarum apud alios, divitibus ſolum nomen cedit & ſollicitudo.

Pro exiguis, aut magis ne exiguis quidem ſed nullis, eam parvi pendere gloriam, quam nec ocu-

Qui mundum amat, nunquam ſatiatur.

Dei indulgentia delet peccatum, non quidem & à memoria excidat, ſed quod prius ineſſe pariter, & inficere conſueviſſet, ſic de cætero inſit memoriæ, ut eam nullatenus decoloret. *cap. 15.*

Miſerere animæ tuæ, qui Deum tibi vis miſereri. *cap. 16.*

Neque ubi ferrum extraxeris, continuo vulnus redditum eſt ſanitati; ſed tunc primum neceſſe eſt adhibere formenta, & operam dare curationi. *cap. 17.*

Væ, qui ambulantes in carne Deo placere non poſſunt, & placare velle præſumunt. *cap. 19.*

Obediendi devotio lenit imperium. *cap. 21.*

Oportet ad veſtum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala quæque emergentia in regno Dei, & præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei ubi non poſſit fides ſentire *Tract. de Erroribus Petri Abaillardi in Synodo Senonensi damnatis Præfat. ad Innocentium II. Pont. Maximum.*


defectum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis.

cap. 1. Quid magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere?

Tract. ad Hug. de S. Vict. de quæst. ab ipso propositis. cap 5. Sane reprobi Spiritus, etsi destituti sunt participatióne gratiæ, non tamen vivacitate industriæ naturalis.


Tract. de rebus gestis S. Malachiæ Episc. Hyberniæ. Præfat. Semper quidem operæ precium fuit illustres Sanctorum describere vitas, ut sint in speculum & exemplum ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem vivunt, multosque ex his, qui viventes mortui sunt, ad veram provocant & revocant vitam.





S. L. IVSTINIANI FLOSCVLI.

AREOLA XXI.



Anua cæli omnibus patet ingredi volentibus. *Lignũ Vitæ. Tract. 1. cap. 1.*

Timor eſt amor fugiens quod ei adverſatur.

Timor eſt ſpecialis fuga mali, ne perdat quod amat.

Timor hominum peccandi differt facultatem & operationem, non autem aufert. Quos ſuſpendit à crimine, avidiores reddit ad crimen. *cap. 2.*

Stultum eſt timere, quod vitari non poteſt. *cap. 3.*

Tutissima res est, nil timere propter Deum.

Præsens tempus, metu futuri, perdere stultum est.

cap. 4. Ita præsentis temporis est agenda lætitia, ut nunquam amaritudo & timor sequentis judicij recedat à memoria.

Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicij gravitate compensat.

Indicta nobis est probitatis necessitas, cùm agamus coram oculis Judicis cuncta cernentis.

Zelus divinæ justitiæ ex hoc apparet, quod Deus Pater potius voluit ut unigenitus suus pœnam, quam debebat humanum genus, solveret, quam ipse eam dimitteret.

Offenso creatore offenditur totus mundus.

cap. 5. Inaniter putat se esse victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat.

(Timor naturalis) non est meritorius, neque demeritorius, quia

non ſubjacet libero arbitrio. Et dicitur naturalis, non à natura inſtituta, ſed deſtituta; quia iſte timor eſt pœna pro peccato primorum parentum inflicta.

Diſce quæ peccantibus Deus comminetur, ut eum timeas.

Ex notitia tui venit in te timor Dei; atque ex Dei notitia naſcitur amor.

In radice arboris nulla prorſus apparet pulchritudinis ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris ex illa procedit. *De Fide tract. 2. cap. 1.*

(Fides) ipſa eſt quæ inviſibilium tribuit notitiam, & viſibilium efficit hominem contemptorem.

Ille qui intenſe amat Deum, voluntarius eſt ad credenda omnia quæ de eo recte prolata ſunt, & ei beneplacita.

Niſi fides teneatur, nullatenus ad ſpiritualem amorem attingitur.

Perfectorum fides facit carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præ-

ſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, & adverſitatis metum in corde ſuperare.

cap. 4. In anima tua omnia præſidia animæ tuæ Dominus Deus tuus.

cap. 5. Qui hanc peregrinationem pro patria diligit, profecto inter dolores dolere neſcit.

Fides inexercitata langueſcit, & crebris tentatur incommodis.

Remiſſas excubias callidus inſidiator irrumpit.

Cuncta bona ante fidem inania ſunt.

Vincit fides mundum, & omnia quæ in mundo ſunt: vincit delicias, dum oſtendit corpus noſtrum morti eſſe damnatum: vincit divitias, dum æternas eis meliores oſtendit: vincit ſimiliter honores, dum exemplo Chriſti docet illos eſſe tanquam lethale venenum contemnendos.

Divitiæ ſeculares ſi deſunt, non per mala opera quærantur in mundo:

mundo: si autem adsunt, per bona opera serventur in cælo. Animum virilem & fidei virtute decoratum nec debent, si accedunt, extollere; nec debent frangere, si recedunt.

Omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut enim ex ipsismet veterascunt: aut luxu damnorum suorum consumuntur: aut ab extraneis dolo vel violentia seu calumnia diripiuntur.

(Christus) omnia bona mundi contempsit, quæ contemnenda docuit; & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit.

Plenius docetur opere quàm sermone.

Plantata est fides miraculis, exaltata est fides miraculis, comprobata est etiam fides miraculis, quia omnes creaturæ illam comprobarunt. *cap. 6.*

Capacem Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.

Qui adhuc impugnantium certamina vitiorum per consensum delectationis tolerant, aliorum cu- *De continentia cap. 1.*

ram suscipere non præsumant.

cap. 2. Temporalium amor brevis, amarus, & perniciosus est.

Temporalium amor, animę mors est.

Angeli virginitas felicior: hominis vero continentia fortior esse cognoscitur.

Continentia est amor ab amore inferioris pulchritudinis nos removens, & elevans ad superiorem.

cap. 3. In valle miseriarum positi sumus, ubi eo magis flendum est, quo minus flemus.

Universum tempus præsens quædam est vigilia solemnitatis æternæ. Vigilia non est tempus deliciarum, sed dies festus.

Fallax suavitas in temporalibus bonis.

De Prudentia tract. 3. cap. 4. Virtus discretionis absque fervore charitatis jacet: & fervor vehemens sine prudentiæ temperamento præcipitat.

Prudentem virum quicquid pudet facere, pudet cogitare.

De vir- Preciosa justorum mors tanquam

finis laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. *tute justitia cap. 4.*

Qui puram habet conscientiam, secure sperat. *De charitate tract. 4. cap. 1.*

[a] Vis nosse quid amas, attende quid cogitas. *[a] cap. 4.*

Nullæ majores sunt divitiæ, quàm Deum possidere, & charitatem habere.

Nihil deficiet Deum possidenti.

(Deus) se libentius quàm sua tradit dilectoribus suis.

Omnis labor non amantibus gravis est.

Amor solus est qui difficultatis nomen erubescit.

Amorem rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit. *cap. 5.*

Nec sanctus quilibet mori pro Domino potuisset in corpore, nisi prius à terrenis desideriis mortuus virtute charitatis fuisset in mente.

Antiquus hostis castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet.

Charitas est robur fidei, fides

fortitudo est charitatis.

cap. 6. Nec dura in necessitate servitus, ubi diligitur quod jubetur.

Habenti charitatem omnia sapiunt, ut sapere debent.

Non melius nec decentius quàm per dilectionem rependi potest quod per dilectionem datum est.

Charitas habet vim generativam virtutum.

Nihil aliud est bene vivere, quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere.

cap. 7. Salvator in dictis habuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores.

Multos filios Dei fecit unicus filius Dei.

In illa cælesti patria quicquid amabitur, aderit; nec desiderabitur quod non aderit.

Quid aliud noster est finis, quàm pervenire ad regnum cuius finis nullus est?

cap. 9. Cum nullum finem debeat habere devotio amantis, tamen ter-

minos ſuos & fines & regulas habere debet actio operantis.

Quadrupliciter captivatur intellectus : ut in iis quæ ſunt fidei Deo obediat : ut male de ſe homo ſentiat, & bene de proximo ſuo : ut ſenſum ſuperioris ſui ſenſui proprio præponat homo : ut ſemetipſum intendat homo, & ab aliis oculos avertat.

Conſiderata infirmitas propria mala excuſat aliena.

Amat caſte, qui ipſum quem amat quærit, nec aliquid quærit quàm ipſum. *cap.10.*

Plura ſunt per quæ cognoſcitur utrum homo Deum diligat. Cum aliquis cogitat de Deo libenter : cum quis vadit ad domum Dei libenter : cum quis de Deo libenter loquitur : cum quis de Deo libenter audit : cum quis libenter pro Deo dat eleemoſynam : cum quis pro Deo libenter patitur. *cap.11.*

Hoc eſt verum ſignum (divini) amoris, temporalium contemptus.

Imitator Chriſti factus cum in

aliquam ingressus fueris civitatem, primo ante omnem actum ad Ecclesiam curras.

Hic amantium mos est; ut amorem suum silentio tegere nequeant.

Dei amator mercator est optimus; dat quod non potest retinere, ut recipiat quod non potest amittere.

cap. 12. Temporalia amata inquinant.

cap. 14. Perfecti ad hoc utuntur mundo, ut perfruantur Deo.

Amor Dei amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei.

cap. 15. Propterea Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres omnes se amarent.

Plus gaudebit unus electorum de gloria animæ alterius, quàm de gloria proprii corporis.

Sollicitudo Angelicæ custodiæ nos provocat ad amandum proximum. Non est ab homine despiciendus homo, qui adeo Angelo charus est.

Quamvis appetendum ſit ab unoquoque & amare & amari, magis deſiderandum eſt amare quàm amari. *cap. 15.*

Amor diſcretus talis eſſe debet, quod perſonas amet, & vitia perſequatur. *cap. 16.*

Amore Dei firmata debet eſſe dilectio proximi.

Nec hominem recte diligere novit, quiſquis eum recte non diligit qui hominem fecit.

Qui ſe non novit diligere, utique nec proximum.

Videtur plus quàm ſeipſum proximum velle diligere, qui curationi propriæ non ſufficiens curam aliorum cupit aſſumere.

Unum membrum non invidet alij membro, licet non habeat idem officium.

Cum unum membrum ab alio læditur, non ſe vindicat.

Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſi glorietur unum membrum, congaudent omnia membra.

Unum membrum reputat ſibi fieri quod fit alteri, ſive bonum, ſive malum.

Unum membrum læſioni ſe exponit pro alio.

Cibum quod os recipit, aliis membris communicat.

Unum membrum timet ab aliis ſeparari.

De Patientia tract. 5. cap. 2. Patientiæ virtus eſt coram hominibus perſecutores tolerare, ſed coram Deo eſt ipſos diligere.

Tunc eſt quiſque vere patiens, quando ipſum amat quem perſecutorem patitur.

Toleraſſe & odiſſe non eſt virtus patientiæ, ſed velamen furoris.

Qui perfecte ſe vincit, ad omnia fortis erit.

Illud eſt magnificum & ſtrenuum, ſi ſubjectus quis contumeliis judicia Dei laudet: ſi vexatus ægritudine judicia Dei deprecetur: ſi inopia depreſſus nihilominus juſtitiam Dei laudet.

Donis ſuis Deus flagella permiſcet.

Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. *cap. 3.*

Electis suis ad se pergentibus Dominus hujus mundi iter asperum facit, ne dum quisque vitæ præsentis requie, quasi viæ amœnitate pascitur, magis eum diu pergere quàm citius pervenire delectet; & dum oblectatur in via, obliviscatur eorum quæ sunt in patria.

Nullus quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit.

Utilitati innocentium militat vita pravorum.

Quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc agit tribulatio homini justo.

Non conquerendum est de verbere, dum scitur quæ remaneant præmia in æternitate.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impietas & mala voluntas, & hostis interior roboratur.

Quinque de causis permittit Dominus corpus infirmari: ut merita *cap. 4.*

justitiæ augeantur: ut virtutes custodiantur, & homo non cadat in culpam: ut peccata corrigantur: ut glorificetur Deus: ut fiat non emendatis initium futuræ pœnæ.

Pœna præsens, quæ injusti animum à pravis desideriis non mutat, ab æternis suppliciis non liberat.

Quem præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt.

Nihil perdit qui se habet: qui nihil amat, perdit nihil.

Fortior est qui in nobis est, quàm qui adversum nos est.

Vita nostra non potest esse sine peccato nec sine tentatione.

cap. 5. (Mali) quotidianis cruciatibus cruciatum merentur æternum.

Facta Sanctorum si consideramus, gravia non erunt quæ toleramus.

Tunc patienter illata flagella toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus: quia per hoc quod culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna levigatur.

Erubeſcit peccatis alienis non parcere, qui Domino vel proximo ſæpe ſe recolit parcenda perpetraſſe.

Leve videtur quod injuriâ percutimur, dum in actione noſtra conſpicimus, quod pejus eſt quod meremur.

Cum ab aliquo aliquid injuſte paſſi ſumus, reminiſcamur quæ pro peccatis noſtris merito ſuſtinere debemus.

Tanto ſe unuſquiſque ad patientiam profeciſſe verius demonſtrat, quanto perſecutorum mala per compaſſionem robuſtius tolerat.

Omnia bona terrena contempſit Chriſtus, ut contemnenda monſtraret: & omnia terrena mala ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis timeretur infelicitas.

Qui neſcit dolere de peccatis, ignorat patienter adverſa ſuſtinere.

Omne opus leve fieri ſolet, cum

eius pretium cogitatur.

Spes præmij ſolatium fit laboris.

De Obedientia tract. 6. cap. 5. In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur; ut in difficilioribus agendis obeditio quidem gratior, quàm prævaricatio gravior judicetur: & in facilioribus minuſque oneroſis contemptus damnabilior, quàm laudabilior exiſtimetur.

De Spe tract. 8. cap. 2. Spes in poſſeſſionem regni cæleſtis animam quodammodo introducit.

Nullus deſperare debet veniam, etiamſi circa finem vitæ convertatur: unumquemque enim Deus de ſuo fine, non de vita præterita judicat.

cap. 3. Nullum ſcelus coram Deo tam abominabile ſit, quàm ſpe miſericordiæ Dei peccata perpetrare.

Lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat.

cap. 4. Cito bonum amittitur, niſi à Deo largiente cuſtodiatur.

Semper plus tribuit Deus, quàm quis precatur.

Judam proditorem non tam ſcelus quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire.

Frequens caſus humilitatem generat, humilitas triumphum.

Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita poſt culpam, quàm ſecuritate torpens innocentia.

Qui gaudet in bonis gratiæ & veniæ quam invenit, & recordatur mala quæ evaſit, difficile redit ad malum.

Oportet nos ſemper de Dei miſeratione confidere, & de noſtra infirmitate formidare.

Gravior culpa poſt veniam: renovatum vulnus pejus dolet poſt curam.

Vere indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam culpat.

Amantium mos eſt, ut ſemper præſentem habere ſtudeant, quem amant. *De perſever. cap. 2.*

Omnis labor levis efficitur conſideratione mercedis.

Divitiæ vix aut nunquam ſine *De Pau-*

pertate amore valent possideri.

cap. 1. Magnæ dementiæ est signum, imminente temporali æternam non timere mortem.

cap. 2. Magna tranquillitas cordis est, nihil habere concupiscentiæ secularis.

Damnavit (Christus) in stabulo pauperrimo hujus mundi honores, pompas, & vanitates. Insuper delicias, mollities, & carnis delectationes, similiter divitias, abundantiam temporalium, & superfluitates.

cap. 3. Ibi incipit beatitudo humano judicio, ubi ærumna existimatur humano.

Ex parvis magna lucramur.

Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate.

De Sobrietate Non licet intueri quod non licet concupisci.

cap. 4. Nihil tam valet ad domanda carnis desideria, quàm frequens mortis consideratio.

Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.

Qui quotidie recordatur se esse moriturum, contemnit præsentia, & ad æterna festinat.

Considera frequenter, ô homo, te jam mortuum, quem scis de necessitate moriturum.

De Humilitate cap. 4.

Pene mortuum se considerat, qui moriturum se minime ignorat.

Perfecta vita est mortis recordatio.

Facile relinquere mundum facit mortis memoria.

Nihil tam proficit ad contemptum omnium rerum; quàm frequens cogitatio mortis.

Consideretur vitæ terminus, & non erit in hoc mundo quod ametur.

Sollicitum exhibet hominem ipsa mortis cogitatio.

A mortis pavore efficaciter liberat mortis recordatio.

Offerendum est pro munere, quod Deo tenemur reddere.

Plerique exiſtunt qui ſe, arguente nullo, peccatores eſſe confitentur: cum vero de culpa ſua fuerint fortaſſe correpti, patrocinium defenſionis quærunt, ne peccatores eſſe videantur.

Indicia veræ humilitatis ſunt, ut ſicut unuſquiſque peccatorem ſe dicit, ita id de ſe dicenti alteri non contradicat.

Indicium ſuperbiæ certum eſt, cum quod fateri quiſque de ſe ſua ſponte dignatur, hoc ſibi dici ab aliis dedignatur.

Exercitium humile creat humilitatem.

Argumentum morum ex minimis poteſt cognoſci.

(Vere humilis) ne putetur quod non eſt, quantum in ſe eſt, vult neſciri quod eſt.

Qui gloriam non quærit, injurias non ſentit: nec veretur confundi in præſentia hominum, qui ſolam gloriam quærit apud Deum.

De orat. cap. 2. Oratione melius ſolvuntur dubia, quàm inquiſitione alia; citiuſque

que panduntur secreta precibus quàm studio.

Ante orationem purgandus est animus. *cap. 3.*

Providet Deus meliora quàm petuntur. *cap. 4.*

Indignitas ejus pro quo oratur, inexorabilem reddit orationem.

Duobus modis impeditur oratio, ne impetrare valeat: videlicet, si adhuc quisque mala committit; aut si deliquerit, sibi debita peccata non dimittit.

Nullum medicamentum profecit, donec latet ferrum in vulnere.

Nihil sublimius, nihil potentius homine orante. *cap. 5.*

Meditationum tria sunt genera: unum in creaturis, unum in scripturis, & unum in moribus. *cap. 7.*

Activa vita multorum est, contemplativa paucorum. *cap. 8.*

Validissimum contra præsentis vitę illecebras medicamentum est, futuræ vitæ habere notitiam. *De casto connubio Verbi & animæ cap. 1.*

Absque æternæ vitæ scientia & gustu non habemus istius contemptum.

Tanto minus in peregrinatione temporalia diligimus, quanto ardentius ad cæleſtem patriam ſuſpiramus.

Æternorum memoria præſentium ærumnas gemere cogit.

Jugiter meditemur quæ nobis in cœlis repromiſſa ſunt, ne eorum ſeducamur blanditiis, quæ ad uſum nobis conceduntur in terris.

cap. 2. Ægris oculis odioſa lux eſt.

cap. 3. Pauper & facultate nudatus, in Chriſto dives efficitur.

Quod altum eſt in oculis hominum, divinis fœtet aſpectibus.

Deſiderium virtutum in acquiſitione virtutis neceſſarium eſt.

Magna victoriæ pars eſt vincendi deſiderium.

Quis invitus ad pugnam pergens victor exiſtit?

Facile animus ſui victor efficitur, cum contra ſe pugnare non veretur.

Verus amor ex virtute cognoſcitur.

Nemo Paracleti disciplina dignus efficitur, nisi prius carnem spiritui, & animum subegeris virtuti.

Facile amittunt cæleſtia, qui terrenis abundant. *cap. 4.*

Parvulis parvulum ſe fecit Deus, ut doceret tenere innocentiam, ſervare obedientiam, & diligere caſtimoniam. *cap. 5.*

(In cælo Sancti) non minus alieno quàm ſuo congaudent bono. Omnes Sacerdotes, omnes Reges, univerſi divites, ſinguli potentes, quique ſapientes.

Minima quæque, ſi improviſa veniant, graviter feriunt. *cap. 6.*

Eſt in juſtis tribulatio amoris indicium, futuræ beatitudinis præſagium, & prædeſtinationis teſtimonium.

Non abſque ſpinis redolens naſcitur roſa.

Ex cognitione ſui nutritur humilitas.

Eſt ſolitudo amica mœroris, mater quietis, locus contempla-

tionis, & receptaculum supernæ visitationis.

Non est tuta in urbibus conversatio.

Solitudo semper amanda est, tenenda vero non semper.

Nusquam nisi in solitudine legitur Salvatorem legisse.

Nunquam tentationibus carebit qui terrena dilexerit.

Contemptor sit mundi, sit & contemptor sui qui Deo placere cupit.

cap. 7. Quod non agnoscitur, ejus periculum non declinatur.

Ex cognitione morbi congrua ægroto præbetur medicina.

Omnium tentationum hæc periculosissima est, aut non tentari, aut nescire se tentari.

Nunquam vult (Deus) ut deficiat qui impugnet, ut ex certamine nunquam desit unde coronet. Sic cum populum suum ad terram duceret promissionis, voluit ut causa semper adesset, per quam ipsum tentando probaret; permisit ut insequeretur Pharao; ut in deserto

aqua deficeret: ut populi ad quorum terram possidendam vocabantur, resisterent: ut etiam eadem possessa reliquiæ gentium tributariæ in medio eorum remanerent.

Semper ad id quod reliquit, consuetudo reflectitur.

Difficilis seniorum vitæ impudicæ conversio.

Vitiis virtutum oppositione resistendum est.

Plus valet gratia quàm natura, quia superior est.

Nulli, nisi ignavo & tepido, ac resistere nolenti tentatio nocet.

Homo sola in diligendo præsentia prospicit, Deus futura intuetur. *cap. 8.*

Homo ut fruatur dilecto diligit, Deus vero ut dilectus diligentem possideat.

Non est abjectum quod præcessit in Domino.

Dolorem servi dolor lenit Domini.

Passio, (Christi) Passione vincitur.

Ipsa natura in salutis adjutorium accommodata est.

cap. 9. Sponſus Verbum eſt, ſponſa humana Natura, ſponſa ſancta Eccleſia, ſponſa fidelis Anima, non qualiſcumque; ſed talis, quæ meritis & dilectione ſponſæ vocabulo digna ſit.

Honoremus in Deo homine naturam noſtram, diligamus nos in ipſo: pluris quidem in ipſo quàm in nobis æſtimandi ſumus.

Beneficium amoris indicium eſt.

Sicut corpus Chriſti verum ex puriſſimis conſtat membris; ita corpus ipſius myſticum, videlicet Eccleſia, ex puris conſtat fidelibus. Veruntamen prout corporis membra humani non vivificantur à ſuo ſpiritu, niſi in membrorum viva unitate conſiſtant: ſic nec quis à ſpiritu vivificatur Chriſti, niſi in vera perſeveret unitate Eccleſiæ.

cap. 12. Maxima indiget prudentia cum animarum lucra quærit, quiſquis interioris verbi ſaginatur dulcedine, ne ſurrepentibus concupiſcentiis, aut curarum multiplicium gravatus pondere, ab interna mentis

exercitatione languescat.

Nemo, nisi valde sanctus, absque sui detrimento proximorum curis occupatur.

Etsi animarum lucris intendere, sit Deo amabile, non tamen cunctis prodest.

Quisque prius debet suam, deinde aliorum salutem quærere.

Semper humilis casum veretur.

Gratiæ amissio occasio fit culpæ.

Bonum (Deus) condidit infra nos, & bonum posuit supra nos, nosque in horum medio collocavit: Bonum quod constituit infra nos, dedit ad solatium peregrinationis, ad usum necessitatis, ad adjutorium virtutis, & ad remedium infirmitatis. Bonum quod præparavit supra nos, voluit declarare, ut diligatur, quæratur, inveniatur, & eo fruamur. *cap.13.*

Res sancta est scientia, si diligendo operatur quod novit. *cap.14.*

Tunc utilis est scientia, cum perducit ad sapientiam: cum divini-

tatis radios ostendit: cum verbi præbet notitiam: cum recte vivendi mores instruit: cum ad cælestia contemplanda animum attollit: cum ad Deum diligendum erudit: cum ad illum quærendum & possidendum omnia cordis interiora inflammat.

Diligendo nos (Deus) dilectores suos facit.

Nunquam diligeremus, si non diligeremur.

Ubi virtutes exercentur, ibi spei gaudia abundant.

Nemo tam sanctus, tam in amore præcipuus, tamque dilectione ignitus ac dilectus, qui amoris vicissitudinibus non subjaceat.

cap.15. Nunquam sine dolore amittitur quod cum maximo amore possidetur.

cap.18. Nonnisi ex effectibus charitatis perfectio innotescit.

cap.21. Nec in prosperis agnoscitur amicus, nec in adversis latet inimicus.

Nil odit Deus, nil punit in homine nisi delictum.

Difficile

Difficile tranſitoria relinquuntur bona, ſi non prælibantur æterna.

Aſſueſcat habitare in ſe, qui vult ſcendere ſupra ſe. Ab exterioribus ad interiora redeat, ut ab interioribus ad ſuperiora conſcendat. *cap. 22.*

Deum in ſe habent juſti omnes: ſoli autem perfecti poſſident.

Suiipſius poſſeſſio Dei præcedit poſſeſſionem.

Cum (mentis) oratio præſto eſt, ſuperflua ac noxia meditatio eſſe dignoſcitur: cum vero abeſt, perutilis & neceſſaria eſſe cenſetur.

Meditatio orationem excitat, oratio autem Deo præſentat, & verbum poſſidere facit.

Facile orantis intentio deviat, & in otioſis ac noxiis labitur cogitationibus, ſi Deus in ipſa oratione non quæratur.

Innocentiæ indicium notiſſimum eſt, Judicis non formidare aſpectum.

Ipſe amor cogitandi materiam miniſtrat, orandi formam tribuit,

orationiſque perfectionem ſufficienter infundit.

cap. 14. (In Euchariſtiæ Sacramento) non aliud ſumit bonus quàm malus, ſed aliter. Ad hoc ordinatum eſt myſterium tam ſanctum, ut frequentetur: non enim ex ſola indignitatis æſtimatione à communione ſe quis ſubducere debet: nam peccato amoto, eo quiſque fit dignior, quo indigniorem ſe putat: obedientia dignum facit, non vita.

cap. 25. Amoris artem amandi neſcius non capit: ſolus novit expertus.

Qualis amor, talis merces.

Faſciculus amoris cap. 1. Se (Deus) cauſam, ſe præmium dilectionis facit.

cap. 2. Sanctitatis amor, & proficiendi inordinatus affectus plurimos periclitari fecit.

cap. 14. Non poteſt non dolere de alienis delictis, qui veraciter plorat ſua.

Nemo digne plangit aliena (peccata) qui voluntarie delinquendo negligit ſua.

Nullus quamvis ſanctus, quamvis perfectus & juſtus propria

cesset flere delicta, tametsi cum dolore maximo ac compassionis ardore plangat aliena.

Bonus luctus, qui spiritualem lætitiam plangentibus affert.

Non absque mœrore amittitur quod cum amore possidetur.

Languet oratio, si non bonis operibus comitetur. cap. 15.

Hominum merita temporalia sunt, electio sempiterna. cap. 19.

Merita ex Dei gratia hominisque arbitrio originem habent: electio vero per voluntatem Dei ante tempora secularia sine initio.

Non sine nobis nostra accrescunt merita: electio autem omnino perficitur præter nos.

Divina electio meritorum nostrorum efficiens causa est.

Purgatio ipsa effectui electionis est prævia.

Semper capitis eget auxilio Ecclesiæ corpus: semper vero membra ipsa indigent corporis unitate. Cohærent vicissim sibi caput, corpus & membra: sine capite corpus

mortuum est, absque membris vero corpus non est.

Duplici auxilio indiget qui in agone constitutus est mortis, fidei videlicet & fortitudinis.

De interiori conflictu c. 2. Qui detrahit, suam & audientis lædit conscientiam.

De compunctione & complanctu Christianæ perfect. Nullus absque sui odio perfecte valet triumphare de se.

Nemo laudabiliter potest odisse se, si non puro corde dilexerit Christum.

Arcta via est spiritus, quæ ducit ad perfectionem, & possidere facit Christum.

Rarus profecto reperitur qui solo testimonio contentus sit divino.

Tanto magis quilibet diligi delectatur, quanto ardentius diligit.

Placet tantum divino conspectui offerentis munus, quantum ille qui offert.

Verus amator illud semper conatur perficere, propter quod valeat placere dilecto.

Non absque tumore mentis agitur quod conditioni non congruit facientis.

Humilitas est in lumine veritatis infuso suimet certa cognitio.

Nemo sine æternorum gustu terrenarum voluptatum potest esse contemptor. *Ser. in festo S. Martini Episc.*

Propter te requirit (Deus) à te, quod præstitit tibi, quatenus per ea possit tibi quandoque etiam tribuere se. *Ser. in Ramis palmarum.*

Detractio spirituale homicidium est. *De vita solitaria cap. 4.*

Æquissime percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. *De contemptu mundi cap. 15.*

Ad correctionem delinquentium unicuique Dominus horam mortis voluit esse ignotam. *Lib. de obed. cap. 21.*

Difficile relinquitur quod in hoc mundo sensibiliter ac delectabiliter possidetur, si non potiora illis quæ ante habebantur, percipiantur oblectamenta.

Editio altera sequentem Areolam loco suo restituet.



S. ZENONIS FLOSCVLI.

AREOLA XXII.



NIſi quis hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit uti ſecurus. *De Geneſi. Serm. 1.*

Nihil eſt ante omnia homini timenti Deum tam neceſſarium atque conveniens, quàm ut ſeipſum noverit. *Serm. 2.*

Nihil difficile eſt fidei, quæ tantum habet, quantum credit. *De Abrahā. Serm. 3.*

Faciles ſumus àd cogitationum delicta, nos homines: propter quod & qui finxit ſingillatim corda noſtra, ſciens quod non parum *De præcepto attende tibi.*

delictorum in his motibus admittitur, qui fuerint ex proposito mentis voluntatisque concepti, ante omnia nobis puritatem & munditiam cordis injungit ac præcipit: in qua enim proclivius vergimus ad peccatum, hanc nobis partem majore cautela diligentiáque communit: sicut enim infirmiora quæque corporis membra peritior ac bene providus Medicus antequam ipse morbus immineat, studio præcurrentiæ & diligentia cujusdam procurationis antevenit: ita & communis omnium provisor & animarum Medicus Deus, quod maxime in nobis ad culpam lubricum providebat, circumdare tutioribus septis studet, & circumvallare cautioribus munimentis. Nam hi actus qui ministerio corporis adimplētur, opus habent & tempore, & opportunitate, & labore, & adjutorijs, cæterisque hujuscemodi instrumentis: mentis vero motus, & cogitationis lapsus absque tempore

consummantur, sine labore complentur, omne tempus habent opportunum.

Negligentes legis sacræ cultores sæpe magno implicantur errore, cum aut dicta non pro locis intelligunt, aut dictorum minime rationes inquirunt. *Ser. de Ps. 100.*

Propheta cum dicat *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*; Quomodo Dominus in Evangelio dicit: *Qui credit in me, non judicabitur, qui autem non credit, jam judicatus est*? Hoc dicendo eximit judicio fideles, non admisit ad judicium infideles. At si utræque partes judicio vacant quomodo unicuique merces pro suo actu reddetur? sine causa etenim laborare videtur justus, nisi recipiet secundum facta sua quæ gessit injustus. Non ergo sic accipiendum est, quemadmodum ab imprudentibus æstimatur. Cæterum Domini dictum quo sit pondere, quave ratione prolatum, explanat proprietas ipsa verborum. *Ser. de Ps. 100.* *Ioan. 5. 8.*

Qui credit, inquit, *in me, non judicabitur:* Recte: Quid enim necesse est judicare credentem? judicium enim ex ambiguis rebus existit: adempta ambiguitate judicij non desideratur examen. Ex quo nec infideles necesse est judicare, quia jam sua sunt incredulitate damnati: ex hac enim vita quis secum aut coronam portat, aut pœnam? Quinam sint isti quibus est judicium præparatum, & à quo scire debemus, nisi ab ipso Domino, qui suum dictum prosequitur dicens: *Hoc est autem judicium, quia lux venit in hunc mundum; & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem?* Ambiguos utique Christianos designavit, ac lubricos: qui inter pios impiosque sunt medij, nullam partem tenentes ad plenum, cum utramque tenere non desinunt. Fideles non sunt, quia habẽt aliquid infidelitatis insertum. Infideles non sunt, quia habent imaginem fidei, professione Deo, factis sæ-

culo ſervientes. Volunt noſſe legem, nolunt ejus præcepta ſervare. Signum ſalutare venerantur, & tamen à miniſterijs Dæmonum non recedunt. Multos namque Dei metus in Eccleſia continet, ſed tamen eos mundana voluptas ad ſe trahit. Impij non manent, quia his Dei nomen in honore eſt. Pij non ſunt, quia Patrem venerandum pravis moribus lædunt. Orant, quia timent: peccant, quia volunt.

Ambiguitas niſi fuerit diſcuſſa, jure non poteſt mereri ſententiam.

Sermo divinus ſecundum intelligentiæ noſtræ conſuetudinem naturamque ſe temperat, communibus rerum vocabulis ad ſignificationem doctrinæ ſuæ & inſtitutionis aptatis: nobis enim non ſibi eloquitur, atque ideo noſtris utitur in loquendo. *Ser. de Pſ. 126.*

Quotiens de timore Domini in Scripturis eſt ſermo, animadvertendum eſt nunquam eum ſolitarium relinqui, tanquam ſufficien- *Ser. de Pſ. 127.*

tem nobis ad consummationem fidei, sed subjici aut anteferri, ex quibus timoris Domini ratio & perfectio intelligatur.

Existit timor & commovetur in nobis de reatus conscientia, de jure potioris, de impetu fortioris, de ægritudinis casu, de feræ occursu, de omnis mali passione. Hic ergo timor non docetur, sed ex naturæ infirmitate occurrit. Neque quid timendum sit, discimus, sed terrorem suum ipsa illa nobis injiciunt, quæ timentur. At vero de timore Domini scriptum est: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Discendus ergo timor est, quia docetur: non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorum observantia, & operibus vitæ innocentis & cognitione veritatis ineundus est. Nam si idcirco Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitru prostrata sint, terræ nunc motu conciderint, nunc

hiatu recepta ſint, nullum fidei meritum in timore eſt, qui ex terrore accidentium commovetur. Nobis autem timor Domini omnis in amore eſt, non in metu. Dilectionis autem noſtræ in eum hoc proprium officium eſt, parere monitis, ſtatutis obtemperare, pollicitis confidere.

Timor, non in metu, ſed in obedientia eſt; & timoris teſtimonium obſequela.

Nihil edere, niſi quod corporale eſt, poſſumus.

Certamen tantum non ſufficit ad coronam; legitime certandum eſt, ideſt, omnia paſſionum bella peragenda ſunt. Non ſufficit ſemel, neque unius certaminis bello militaſſe. *Ser. de Pſ. 128.*

Omnes humanæ injuriæ, quæ religioſis viris inferuntur, non eoſdem habent auctores, quos habent miniſtros Executio quidem hominum eſt, ſed Diaboli inſtinctus eſt. Non ergo his iraſcendum eſt à quibus aliqua per-

petimur: sed quotiens per contumelias ad iracundiam provocamur, quotiensque per convicia ad lites excitamur, quotiensque ad dolorem & impiam damni querelam per rapinas & furta compellimur, aut in corporis voluptates alendas adhortationis sollicitamur instinctu, agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operarijs, sed potius in his detestandi officij intercessio fœda miseranda est, quod sint vasa Diaboli, Satanæ ministerium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ ac nequitiæ paritores.

Hæc vera fidei probatio est, ut qui sæpe à juventute impugnant, nunquam tamen eorum quos & sæpe & pridem à juventute impugnaverint, præpotentes sint.

Adversus validiores & longum & frequens est prælium. Et idcirco inimicæ spiritalesque virtutes

firmos fide & timore Dei viros & diu & ſæpe pertentant: quia iterari neceſſe eſt, quod & diu geritur, & nunquam obtinetur.

Juſtus Dominus, patiens in vltionem, diſſimulator ad pœnitentiæ tempus, non inter exordia humanæ iniquitatis promptus ad pœnam, ſed deſinendi à criminibus ſeram licet voluntatem peccatoris expectans.

Sunt ſecundum Scripturæ autoritatem ædificia firma quæ fundamentis fidelibus ſupra petram jactis, fluvijs, ventis, inundationibus non moventur. Sunt & infirma, quæ arenoſo ædificata fundamine, cum tempeſtates ortæ fuerint, efficiunt ingentem ruinam. Sunt & ſationes duæ ſecundum Apoſtolum, ſpiritus atque carnis. Et qui ſpiritalia ſeverit, ſpiritalia metet: & qui carnalia ſeverit, carnalia metet.

Deus ubique eſt, ubique adeſt, audit, & videt, & efficit. *Ser. de Pſ. 129.*

Virtus Dei, quæ æquabilis &

indiſcreta eſt, officiorum & membrorum habet nomina, ut virtus qua videt, oculi ſint: virtus qua audit, auris ſit: virtus qua efficit, manus ſit.

Quicquid compoſitum eſt, neceſſe eſt non fuerit æternum: quia compoſitio debet initio qua componatur, ut maneat.

Non omnium vita diem ſuam in ſpe Domini exigit. Sunt enim operarij horæ tertiæ: ſunt ſextæ: ſunt nonæ: ſunt & undecimæ.

De Iſaya Serm. 3. Vehemens commotio eſt, cum is de injuria ſua queritur, qui ſe poteſt facillime vindicare.

Apud ſapientes & honeſtos gravius eſt aliqua nota confundi, quàm mori.

Infelix culpa eſt, in qua locum qualiſcumque non invenit excuſatio.

De Iſaya Serm. 6. Compendioſum felicitatis genus alterius periculo diſcere, quid debeas devitare.

Ser. de Evang. Duplex eſt tentationum ſpecies: aut enim tribulatio cor vexat humanum

aut interdum etiam ipsa vitæ prosperitas ad tentationem cedit hominibus: similis namque ejusdemque ignaviæ est in adversis humilem ac miserabilem fieri, in prosperis insolenter efferri. *secundū Lucam.*

Quæ in manibus habes, commissa tibi magis quàm concessa cognosce.

Maria virgo incorrupta concepit: post conceptum virgo peperit: post partum virgo permansit. *De Nativitate Christi Serm. 2.*

Ideo (Christus) carnem est dignatus induere, ut nemo se possit per carnem, cum judicij dies venerit, excusare.

Parturit Maria, non dolore, sed gaudio. *Serm. 3.*

Nascitur sine patre filius, non totus matris, sibi debens, quod conceptus est, donans matri quod natus.

Hæc est potestas Dei, ut salvo quod est, possit esse quod non est. *Ser. de Spir. ædificat. domus Dei.*

Sancti divites pauci sunt.

Idonea laus non est, cui princi-

Ser. de Patientia. patum adimit peræquatio.

Magna gloria est ornare, per quod orneris; servare per quod & ipse serveris.

Ser. de Pudicitia. Nihil unicuique, nisi quod amaverit, rectum est.

Ser. de Continentia. Mihi crede, non habet concupiscentia locum, ubi patientia dominatur, ubi vivitur sobrie, ubi mors timetur.

Ser. de Iustitia. Non in Ecclesia Dei fucatus quæritur sermo.

O quantum neces animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ! ornamentũ cujus unum si solvas in precium; distribuasque necessitatibus singulorum, ex eorum respiratione cognosces, quantorum malo ille constat ornatus.

De Avaritia. Serm 2. Non potest timere maritum, quæ non timet Christum.


Quid esse p test ditius homine, cujus profitetur Deus se esse debitorem?


Ser. de Invidia. Sicut proprium est boni Dei liberalitas & largitio: ita proprium est Diaboli livor & invidia.

Nihil his inimicitijs difficilius, quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt: quoniam quidem his qui ex alijs occasionibus inimici sunt, si alter forte aggrediatur alterum beneficijs vincere, continuo ferocitas mitigatur. In invidum autem si beneficia conferantur, multo amplius inflammatur: & quanto plura fuerit consecutus, tanto majoribus incendijs conflagrabit: magis enim irascitur & dolet, quod ab eo boni aliquid consequitur, quem nolit quicquam boni vel habere vel posse præstare.

Oleaster sua infelix & amarus est in natura, sed cum fuerit peritissimi agricolæ artificis manu necessaria provisione truncatus, nobilitate alieni seminis gravidatur, nutriturque ab eo ipso quod nutrit, donec hospitis germinis adoptiva pinguedine assumptus, imo pinguedo ipse factus totusque in acceptum translatus, in honore novæ frondis promotio- *Ser. de Resurrect.*

ne ramis resurgentibus ornatus, jam non oleaster sit sed oliva: cum & oleaster sit, & tamen oleastrum se non esse quodammodo etiam ipse miretur.





ELENCHVS Sanctorum Patrum, quorum Flosculi hoc tomo exhibentur.

B. P. *Damianus nobilis Ravennas, Monachus Ordinis S. Benedicti, S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis, floruit circa annum* 1058. *Obiit Faventiæ in Apostolica legatione anno* 1071.

S. *Anselmus Augusta-*

nus Pedemontium, ductore Lanfranco Becci in Normannia Monachus Ordinis Cisterciensis, tum Prior, deinde Abbas, tandem Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus creatus. Vir fuit ingenio acerrimus, sanctitate celeberrimus, miraculis floruit sub Vrbano II. Pontifice & Henrico III. Imperatore. Obijtque undecimo Kal. Maij anno 1109.

S. Bernardus natione Burgundus, patria Fontanus, Galliarum decus, Abbas Claravallensis; vir Apostolicus, miraculis cla-

rus, ſapientia illuſtris, pietate inſignis, multa ſcripſit plurima geſſit. Floruit circa annum 1609.

S. Laurentius Iuſtinianus Venetus Canonicus Regularis, Venetiarum Epiſcopus & Propatriarcha, doctrina eximius, Sanctitate conſpicuus, & miraculorum gloria celebris. Claruit decimo quinto ſeculo circa annum Domini 1440. *Obijt anno* 1455.

S. Zeno Veronenſis Epiſcopus & Chriſti Martyr, vir in Sacris litteris admodum verſatus, Pa-

ter gratiæ dictus. Claruit ſeculo tertio circa annum 260. Obijt ſub Gallieno Imperatore pridie Idus Aprilis.



INDEX
RERVM ET VERBORVM,

QUÆ IN HORUM Flosculorum totis quinque voluminibus maximè notanda continentur, ordine Alphabetico digestus.

PRIMVS NVMERVS, Volumen; secundus, paginam notat.

A

D

D

F

I

M


Misericordiæ

Pœnitentia

S

ut

FINIS INDICIS.



4- 4

